

annal. d. anno 44. nu. 48. *Possevin. in apparatu sacro, tom. 1. verbo, Bartholomaeus. fol. 182.*

59 **Ibi, Evangelium nomine Andree.** Vide posita supra nu. 51. & *Eusebium in historia lib. 3. cap. 19.* Andree Apostoli nomine constat fuisse editum Evangelium, quod *Gelasius damnat. Baron. tom. 1. annal. anno Christi 44. nu. 48.* Fuit Andreas discipulus ille, qui primus venit obviam Iesu, quam Petrus, tradit idem *Baron. anno Christi 31. nu. 23.* & cœlibem vitam duxit, seniorq; erat Petro, ut per eundem nu. 24. De tempore eius martyrij, vide eundem anno. 69. nu. 34.

60 **Ibi, Evangelia, quæ falsavit Lucianus.** Quis fuerit iste Lucianus dubium est, sed cum hic agatur de re hæreticis admodum convenienti, probabile est hunc Lucianum fuisse ex sorore nepotem Eunomij hæretici, & Episcopum Constantinopolitanum, qui sub Arcadio, & Honorio in Episcopatu Eudoxio successit, quiq; hæreticus fuit, quemadmodum scribit *Nicephorus lib. 3. cap. 1.* ita *Covar. lib. 4. variar. d. cap. 17. nu. 3.* post medium. Quidam Lucianus multa scripsit adversus christianorum religionem; de eo *Suidas* sic ait. *Lucianus Samosatenus cognomento blasphemus, sive maledicus, atq; inauspicatus, ac potius impius, quod in dialogis divina oracula pro rudi.ulis inducit, fertur sub Trajano & ante eum fuisse, initio concionator Antiochia fuit, quæ res cum ei male cessisset, se adscribendum contulit, scripsitq; infinita; interemptus fertur à canibus cum tabiem suam contra veritatem exercuisset: hæc Suidas, quem refert *Baron. tom. 2. annal. anno Christi 171. nu. 7.* Fuit & alter Lucianus, qui cum vidisset sacros libros esse valde adulteratos, omnes rursus supsit, & ex lingua renovavit Hebraica, in eis corrigendis plurimum laboris conferens, de quo agit *Baron. tom. 3. annal. anno Christi 331. nu. 10.**

61 **Ibi, Evangelia, quæ falsavit Hircius.** Apud *Burchard. in suo Decreto, lib. 3. cap. 221.* legitur *Isichius*, apud *Gelasium tom. 1. Concil. fol. 993.* ex officina Ioannis Quintel, anno Domini 1551. Colonia Agripinæ legitur *Esuius*, sive *Hesychius*. Quis autem fuerit iste homo impius, mihi est incognitum, cum neq; antiquiores, neq; recentiores de eo mentionem faciant. At cuiusdam *Hesychij*, seu *Isichij Hierosolymitani presbyteri*, ac deinde Patriarchæ, meminit *Possevin. in apparatu sacro, tom. 2. fol. 27.* sed hic vir fuit prudens, & literatus, & commentarium scripsit in Leviticum. Fuit & alter *Hesychius presbyter Constantinopolitanus*, qui sermonem scripsit in serpentem anem.

62 **Ibi, Liber de infantia Salvatoris.** Christum in pueritia nullum fecisse miraculum,

tenet *D. Thom. 3. p. 9. 43. art. 3.* Unde miracula, quæ circumferuntur, & referuntur in *dist. lib. tanquam apocrypha* hic rejiciuntur. Prosequitur *Lindan. lib. 4. cap. 100.* & *lib. 5. cap. 6.* & post *Irenæum lib. 1. contra hæreses, cap. 17.* & alios sanctos Patres tradit *Suar. de vita Christi, disp. 17. sect. 3.* ante finem, vers. *Quinto, & Ultimo*, ubi huius textus meminit *Possevin. in apparatu sacro, tom. 2. verbo, Iesus Christus, fol. 94.* *Baron. tom. 1. annal. anno Christi 1. nu. 46.* ad fin. & *anno Christi 12. nu. 6.* Porro *Matthæi nomine editus erat hic liber*, qui à *Valentinianis hæreticis* putatur fuisse conscriptus, ut per eundem *Baron. anno Christi 44. nu. 48.*

Ibi, Liber de Nativitate Salvatoris. Qui tanquam apocryphus à *Gelasio* reprobatur. *Possevin. in apparatu sacro, verbo, Iesus Christus, tom. 2. fol. 94.* At de vera *Salvatoris Nativitate*, vide *Baron. tom. 1. annal. anno Christi 1. nu. 2.* & seqq. *Suar. de vita Christi, disp. 13. sect. 1. & sect. 2.* ubi latissime probat *Salvatoris Nativitatem absq; dolore Matris, & sordibus puerperij perfectam fuisse; & quo tempore acciderit Nativitas Salvatoris*, vide per eundem *sect. 4.*

In eodem vers. **Ibi, Et de Sancta Maria.** Olim *Gnostici* protentosum librum confinxerunt de stirpe *Mariæ*; in quos acerrime invehitur *Epiphanius hæret. 26.* de quo vide *Baron. in apparatu, ad tom. 1. annal. nu. 35.* & *nu. 39.* ubi improbat fabulam ex eodem lib. petitam, quod hic liber de ortu *Mariæ falso tribuatur ab hæreticis Matthæo Apostolo*, vide *Possevin. in apparatu sacro, tom. 2. verbo, Maria, vers. Librum autem, fol. 392.*

In eodem vers. **Et Obstetrice.** Hoc commentum scripsit *Theodosius Iudæorum princeps*, temporibus *Iustiniani Imperatoris*, at non fuit novum inventum prædicti *Theodosij*, quod scribit de obstetrice *Deiparæ Virginis exploratrice.* Nam *Clemens Alexandrinus septimo Stromatum.* testatur hæc eadem à quibusdam suo tempore iactari, sed hæc ex apocryphorum insomnijs. Vide *Baron. in apparatu ad tom. 1. annal. nu. 36.* ad fin.

Ibi, Item liber, qui appellatur Pastoris. De quo *Covar. 4. variar. cap. 17. nu. 3.* ante finem, *Bellarmin. de Verbo Dei lib. 1. cap. 20.* vers. *Nec minus, Medina de recta fide in Deum, lib. 6. cap. 17.* Revelatio tamen facta *Hermæ*, de celebrando Paschate in *Dominico* approbatur à *Pio I. in cap. Noste, do consecrat. dist. 3.* quæ tamen in eo libro *Pastoris* continetur, & vide *Eusebium, lib. 3. de historia ecclesiastica, cap. 23.* & *Nicephor. lib. 2. cap. Vlt.* Perperam hunc librum divinitus inspiratum esse putavit *Origenes* lib.

lib. 1. in epist. ad Romanos, unde testimonia profert Tertullian. lib. de oratione Irenæus lib. 4. cap. 34. Caspian. collat. 13. cap. 12. utilis tamen à Patribus antiquis fuit iudicatus, ut ex Hieronymo, Rufino, & alijs tradit Possevin. in apparatu sacro, tom. 3. verbo, Pastoris fol. 9. Vixit autem Hermas temporibus Apostolorum, de cuius vita, & operibus vide late eundem Possevin. tom. 2. verbo, Hermas. fol. 24.

67 Ibi, Libri omnes, quos fecit **Lenticius**. Apud Burchardum legitur *Leucius*, apud Gelasium 1. Conciliorum tomo *Lucius*, qui fortassis est Lucius ille Arianus Alexandriae Episcopus, Athanasio refragante electus, cuius ecclesiastici historici meminere. Quod si quis legerit *Leucius* non contendam cum eo. Nam et huius heretici meminit D. Augustinus in lib. de fide contra Manichæos cap. 4. & 38. *Leucius* etiam legit Baron. tom. 1. annal. anno Christi. 44. num. 43. ubi refert verba nostri textus.

68 Ibi, Liber qui appellatur **fundamentum**. Nemo potest aliud ponere fundamentum præter id, quod positum est, quod est Christus: neque conuellet quod ipse firmavit; unde merito Gelasius in præsentis reprobat librum, qui comprobabat aliud fundamentum. vide Baron. 1. tom. annal. anno Christi 33. nu. 20. Plane de hoc libro, qui incipit: *Manichæus Apostolus Jesu Christi*, latissime agit D. August. in lib. contra epistolam Manichæi, quam vocant *fundamenti* cap. 5. cum seqq. extat 6. tom. ipsius operum. At nostris temporibus in monte Granatensi repertus fuit liber, qui inscribatur *fundamentum fidei*, quem nonnulli ex nostro textu reprobare intendebat, sed eum late defendit Gregorius Lopez. *Madeira in discursu Montis sancti Granatae*. cap. 38. fol. 154. 4. *El segundo punto*.

69 Ibi, Liber qui appellatur **Thesaurus**. Inter recentiores authores nullum hæcenus inveni, qui huius libri, aut eius authoris mentionem fecerit. Attamen D. Augustinus illius meminuit, affirmans Manichæum fuisse, et ipsummet authorem, qui librum composuit, & dicitur *fundamentum*, de quo supra nu. 68. ita asserit in libro de fide cōtra Manichæos tom. 6. ipsius oper. cap. 5. ibi, *Nam sic in 2. Thesauri libro dicit; & ibi, item in epistola fundamenti, & affirmat Gregorius Lopez. Madeira in discursu montis sancti Granatensis, utriusq; libri authorem fuisse Hæresiarcham Manem. At D. Cyrillus Alexandrinus librum scripsit, quem etiam Thesaurum appellavit. vide Madeira ubi supra cap. 38. fol. 153. 4. El segundo.*

Ibi, Liber qui appellatur de filiabus Adæ, vel Genescos. Ita enim legitur apud Gratianum, & in 1. Conciliorum tomo; apud Burchardum verò falso, & corruptè legitur, de filiabus Adelgenesis. Fortassis hic liber est illa parva Genesis, quæ citatur à Ioanne Zonara in 1. annal. tomo, ubi scribit hoc opus non esse à divinis Patribus inter approbata relatam. Planè Augustinus contra Faustum testatur Manichæos authores huius libri fuisse, ut per Possevin. tom. 1. annal. in verbo, *Adam*, fol. 14. Covar. d. lib. 4. variat. d. cap. 17. nu. 4. in principio.

Ibi, Centimetrum de Christo **Virgilianis compaginatum versibus**. Centimetrum verò hoc in loco non intelligitur poema centum compositum carminibus, sed ex multis, alienisq; hinc inde compositum versibus, & in unum coagmentatum, & confectum: quod centonem appellamus, à veste vili, & rustica varijs, & versicoloribus segmentis filisve confuta. Proba Falconia, Adelphi Romani proconsulis uxor, rari, & elegantis ingenij, Græcè, & Latine ad summum erudita, prima omnium excogitavit ex versibus Virgilij, varios utriusq; testamenti locos metricè describere. Vixit sub Honorio, & Theodosio Iuniore, circa annum Domini 430. ut habet *Sixtus Senensis, lib. 4. Biblioth. habetur hoc opus tom. 8. Biblioth. V.V. Patrum, fol. 225.* At Eudoxia uxor Theodosij Iunioris, centonem ex Homeri carminibus de Christo confecit, authoribus *Tritemio de scriptoribus ecclesiast.* & *Gregor. Gyrardo de poetis, dialogo 5.* & *Ioanne Zonara*, qui in Theodosio Iuniore scribit, hoc opus à Patricio quodam imperfectum, & indigestum relictum fuisse, & tandem Eudoxiam Imperatricem illud absolvisse, habetur etiam tom. 8. *Biblioth. V.V. P.P. fol. 237.* Obijt Eudoxia anno Dñi 460. imperante Marciano. Vtrum q; poema vulgò circumfertur Græcè, & Latine, legiturq; privatim, quanvis latinum à Gelasio inter apocrypha referatur. Huiusmodi poema non admodum probare videtur Tertullianus, illudq; apertè improbat D. Hieronymus. Vide late Covar. d. cap. 17. nu. 4. post principium. Verum hos Virgilij centones recognitos, & purgatos edidit Bernardus Gualtherus Coloniae Agrippinae anno 1601.

Ibi, Actus Thecle, & Pauli **Apostoli**. Acta quædam Thecle nomine, & Pauli ab Asiatico presbytero quodam (ut author est Tertullianus, de baptismo cap. 17.) constat fuisse conficta, & sua ipsius confessione falsa omnino probata, atq; cōvicta.

Hieronymus idem asserit *de scriptor. ecclesiast. in Luc. cap. 7.* reprobans actus Pauli, & Theclæ, & totam baptizati Leonis fabulam. Hos secutus *Gelasius Acta Theclæ, & Pauli* inter apocrypha jure recensuit. Fuit autem Thecla Protomartyr, & prima omnium fœminarū, quæ pro Christi nomine, in certaminis campum fide roborata descendit, triumphūq; revexit, unam si excipias virginem regis filiam, quæ simul cum B. Petro martyre Bracharensum Episcopo, & Hispaniarum Primate, apud oppidum Rates, pro tutanda virginitate, posita est, de qua ego in historia mea Bracharenfi. Plura de actis germanis Theclæ, & quomodo Thecla sponsum suum Thamirum relinquēs, adhæsit Christo, & à spōso accusata damnata fuit, vide latissimè p. *Baron. tom. 1. annal. anno Christi 47. nu. 2. & seqq.* Planè *Basilus Episcopus Seleuciæ in Isauria* duos libros Græcè edidit de vita, ac miraculis D. Theclæ, quos *Petrus Pantinus Tiletanus decanus Bruxellensis* è tenebris primum eruit, & latine vertit, notisq; illustravit, editi fuerunt Antwerpæ ex officina Plantiniana, apud *Ioann. Moretum* anno 1608.

73 Ibi, Liber, qui appellatur *Nepotis*. Fuit enim olim *Nepos* quidam apud *Aegyptios* Episcopus, à quo dicti *Nepotiani* hæretici, qui librum eiusdem *Nepotis* proferētes, eius autoritate ostendere, ac probare nitebantur, regnum Christi in terris de futurum, designatam quandam mille annorum vitam referentes. Quem equidem librum, & judaicam authoris opinionem, duobus de promissionibus libris compositis, *Dionysius Alexandrin. Episcopus* evertit, sicuti scripsit *Eusebius lib. 7. Ecclesiast. hist. cap. 23. & 24. & Nicephorus lib. 6. cap. 12.* Vivebat autem *Nepos* sub *Galieno Imperatore* anno 270. Vide *Covar. d. cap. 17. nu. 4. ad fin. Possevin. in apparatu sacro tom. 2. verbo, Nepos fol. 466.* qui ait fuisse *Nepotem* virum planè bonū, & eruditum, sed *Chiliasitarum* errore deceptū.

74 Ibi, liber proverbiorum ab hæreticis conscriptus, & nomine *Sæcti Sixti* signatus. *Sixto Papæ, & Martyri* hic liber falsò ascriptus est, de quo *Dionysius Hieronymus in Jerem. cap. 22.* exclamans ait: *Miserabilis Grunnius, qui ad calumniandos sanctos viros, apervit os suum, linguamq; suam docuit mendaciam, Sixti Pythagoræi hominis gentilissimi unum librum interpretatus est in latinum, divisitq; eum in duo volumina, & sub nomine Sancti martyris Xysti urbis Romanæ Episcopi ausus est edere, qui per multas provincias legitur, maxime ab his, qui impeccantiam prædicant.* Hæc *Hieronymus.* Vide *Baron. tom. 2. annal. anno Christi 142. nu. 5. Bellarmin. de scriptor. ecclesiast. anno Domini 254. fol. 48.* Fuit *Sixtus* nomine secundus.

Ibi, Revelatio, quæ appellatur *Pauli*. Cum enim *Paulus* scribens ad *Corinth. 2. cap. 12. n. 1.* testatus sit se à Deo revelationem accepisse, & ad *Galatas 2. n. 2.* etiam suam citet revelationem; eius nomine revelationes sunt editæ; quiquidem cōmentarius rursus quasi è terra revulsius, *Theodosij Imperatoris* temporibus apparuit, ut tradit *Sozomenus lib. 7. cap. 19.* Sed quòd fabulas contineret hereticorum, est rursus oblivione sepultus: Vide *Baron. tom. 1. annal. anno Christi 44. nu. 47.* ubi etiam refert omnia scripta, quæ falsò *Paulo* sūt attributa. Adde *Possevin. in apparatu sacro, tom. 3. verbo, Paulus, vers. Quæ tamen, fol. 21.* qui uterq; nostrū textū refert *Covar. d. cap. 17. nu. 4.* in fine, qui apud *Parasceves* legi hanc revelationē fuisse solitam.

Ibi, Revelatio, quæ appellatur *Thomæ*. Præter *Apocalypsim* *Ioann. Apostoli, & Evangelistæ*, nullam aliam revelationem *Ecclēsia* recepit, quanvis olim nomine *Apostolorum* plures fuerint vulgo editæ. Nam inter illegitima, & adulterina scripta referunt eadem *Eusebius lib. 3. cap. 25. & Nicephorus lib. 2. cap. Vlt.* Vide *Covar. d. cap. 17. nu. 4.* in fine, & posita supra nu. 49. & 53. & huius revelationis *Thomæ* meminit *Baron. tom. 1. annal. anno Christi 44. nu. 48.*

Ibi, Revelatio, quæ appellatur *Stephani*. Revelationem *Stephani* Protomartyris, qui unus fuit è septem *Apostolorum* diaconis, confictam ab hæreticis *Manichæi* (ut *Serapion* est testis) in pretio habuerunt, hanc *Gelasius Papa* sub anathematis in terminatione christianis interdixit; meminerunt de hac revelatione apocrypha *Possevin. in apparatu sacro, tom. 3. verbo, Stephani, fol. 252. Baron. tom. 1. annal. anno Christi 44. nu. 48.* in fin. qui ait, *Valentinianos, & Sabellianos* hæreticos hanc revelationem edidisse.

Ibi, Liber, qui appellatur *transitus B. Mariæ*. Liber de transitu, hoc est, Assumptione *Sanctæ Mariæ Virginis*, ab *Hieronymo*, seu potius *Hieronymi comite Sophronio* in sermone de Assumptione *Virginis*, reprobatur ut apocryphus; quod & *Augustinus sermone 35. de Sanctis*, fecit *Tritemius* verò licet in *Catalogo* numeret hunc librum inter opera *Melitonis Sardensis Episcopi*; *Hieronymus* tamen inter *Melitonis* scripta non posuit. Improbavit verò hunc librū sub nomine *Melitonis* editum, *Beda* in retractationibus exponens illud. *Act. 8. nu. 1. Omnes dispersi erant per regiones Iudææ, & Samaria.* Cum ille liber multa habeat fatua, delira, atq; tãto viro indignissima. Cæterum *Vsuwardus, & Ado* in suis *Martyrologijs 15. Augusti*, putantes *scriptionem* illam

de transitu B. Mariæ Hieronymi esse germanâ, quasi ex sententia Ecclesiæ, hæc in hunc modum descripta posuerunt Octavo Kal. Septembris. Dormitio Sanctæ Deigenitricis Mariæ, cuius sacratissimū corpus etsi non inveniatur super terram, tamen pia mater Ecclesia eius venerabilem memoriam sic festivâ agit, ut pro conditione carnis eam migrasse non dubitet. Quo autem venerabile illud Spiritus Sancti templum nutu, & consilio divino collocatum sit, plus elegit sobrietas Ecclesiæ cum pietate nescire, quam quid frivolum, & apocryphum inde tenendo, docere. Hæc ipsi, sed dum se apocrypha vitare putant, in deterius lapsi sunt. Nam Ecclesia cum agit de obitu Sanctissimæ Deigenitricis, Assumptionem appellat, quoniã non solum animæ solum transitum, sed et corporis simul evectioem voluit significare. Sed quæres qua certitudine hæc veritas tenenda sit? *Abulens. Matth. 22. q. 230. vers. Ad secundum*, solum dicit esse rationabiliorem opinionem. *Caiet. autem opuscul. de concept.* dicit esse piam sententiam, & fere idem docet *Sot. in 4. dist. 43. q. 2. art. 1. vers. De sacratissima. Canus, verò, lib. 12. de locis Theolog. cap. 11.* addit esse petulantem temeritatem hoc negare, quem sequutus est *Corduba lib. 1. questionum theolog. q. 17. §. 1. in fine. Catharinus autem lib. 4. contra Caiet. & in opusculo de conceptione contendit esse de fide, sed re verà non est, quia neq; ab Ecclesia est definita, neq; est testimonium scripturæ, aut sufficiens traditio, quæ infallibilem faciat fidem. Est tamen iam nunc tam recepta sententia, ut à nullo pio, & catholico possit in dubium revocari, aut sine temeritate negari. Ita *Suar. de vita Christi, disp. 21. sect. 2. col. 4. vers. Sed quæres.* Cæterum de festivitate hac Assumptionis B. Mariæ, & eius institutione videbis *Ioan. Andr. in cap. Licet de ser. Azor tom. 1. lib. 1. cap. 20. q. 1. Felin. tom. 2. tract. 17. cap. 4. n. 57. & 58. adi. posita ad cap. 1. de consecrat. dist. 3.**

80 Ibi, Liber, qui appellatur pœnitentia Adæ. Adam primus homo Dei manu formatus ad imaginem, & similitudinem opificis effectus, & habitatione Paradisi honoratus, iure primus sapiens appellatur, omniumq; gratiarum plenus. Cuius confictam olim à Gnosticis hæreticis revelationem, aut pœnitentiã Epiphanius in primo Panarij dicit, & rejicit, ut testatur *Possevin. in apparatu sacro, tom. 1. verbo, Adam, ad finem, fol. 14.* Adæ item falsò ascriptus fuit liber Chrysopeia, quam vulgo vocant Alchimiam; de quo videbis *Martin del Rio disp. Magicar. lib. 1. cap. 5. q. 1. sect. 1. vers. De sola;* sed hæc omnia pro imposturis habenda sunt, & otiosorum hominū somnijs.

81 Ibi, Liber, qui appellatur nomine Ogie Gygantis. Olim perperam legebatur nomine *Diogenis;* qui Ogius post diluvium cum dracone ab hæreticis pugnasse dicebatur. Erat hic

liber scriptus Og Regis Basam, cuius Moyses meminit *Num. 32. nu. 33. & Deut. cap. 1. nu. 4. & cap. 3. nu. 2. & seqq. & David Psalm. 134. nu. 11. & 135. nu. 20.* ut *Covar. suspicabatur d. cap. 17. nu. 5. ad fin. & firmavit Possevin. in apparatu sacro tom. 2. verbo, Og, fol. 511.*

Ibi, Liber, qui appellatur testamentum Iacob. Iacobi Patriarchæ testamentum à Gelasio inter apocrypha numeratur. Porro expositione, quam Ebionitæ hæretici sub nomine Iacob emisserant, quæ scala inscribatur, de qua *Gen. 28.* fuit illorum cõmentum. Vide *Epiphanius 1. lib. Panarij, in confutatione Ebionitarum;* quem refert *Possevin. in apparatu sacro, tom. 2. verbo, Iacobi, fol. 69.* apud *Burchard.* legitur Testamentum Iacob, & ita etiam legit *Covar. d. nu. 5. ad fin.*

Ibi, Liber, qui appellatur pœnitentia Origenis. De Origene, & eius libris, vide quæ supra notavimus nu. 36. & 37. Cæterum de libro qui Lamentationes, seu pœnitentia Origenis inscribitur, & velut adulterinus à Gelasio respuitur, verba refert *Epiphanius hæresi 64. Tu nesci Domine, quia invitus cecidi, volens alios illuminare, me ipsum obscuravi, nitens alios de morte ad vitam reducere, me ipsum ad mortem perduxisti, volens alios representare Deo, me ipsum à Deo separavi, volens pro pietate inveniri, contra pietatem inventus sum; procedens enim contra iniquorum congregationes, & arguens, ibi pessimum diaboli errorem inveni; nesciens certantium varias insidias, ad Dei cognitionem provocabam. Igitur post multas scrutationes promiserunt mihi astutias infelici: postquam verò professus sum ab eis, diabolus eadem nocte transformatus in angelum lucis afferebat mihi. Diluculo exurgens perge, & persuade eis, & adduc eos Deo, si tibi verbum proposituri sunt: quod si assenserint, sine ulla intermissione facito nihil dubitans propter multorum salutem. Hæc & alia Origenes amarissime lugens, si tamen eius lamentationes; aut pœnitentiã esse dixerimus; videbis *Baron. tom. 2. annal. anno Christi 253. num. 118, & seqq.**

Ibi, Liber, qui appellatur pœnitentia S. Cypriani. Nonnulla Cypriani *August. lib. 5. contra Donatistas, refellit, & in epist. 48. ad Vincentiũ, asserit non esse forsan Cypriani;* quare Gelasius in præsentem meritò pœnitentiã Cypriani apocrypham esse censuit. Vide *Possevin. in apparatu sacro, tom. 1. verbo, Cyprianus, vers. Sane verò, fol. 361. & quæ supra notavimus nu. 5. & de hoc libro Pœnitentia Cypriani meminit Baron. tom. 2. annal. anno Christi 261. nu. 46.*

Ibi, Liber, qui appellatur pœnitentia Iannis, & Mambre. Iam mis, & Mambres resisterunt Moyse, quemadmodum, &

82 & impij, ac proterui resistunt veritati, teste Paulo 2. ad Timotheum cap. 3. nu. 8. quo in loco Chrysostomus scribit hos fuisse magos Pharaonis, qui resistentes Moyse, & veritati, signa in Aegypto fecisse leguntur Exodi cap. 7. Quavis eorum nomina in veteri testamento nusquam reperiuntur; sed illa Pauli spiritus didicerat. Horum meminere Numerius Pythagoricus lib. 3. & Eusebius de preparat. Evangelica, lib. 9. cap. 3. meminit etiam huius libri, qui dicitur Iannis, & Mambres, Origenes tract. 35. in Mattheum, meminit et horum magorum Pharaonis Georgius Cerdenus in anal. epitome, & D. Augustin. epist. 119. ad Iannuarium. Vide Covar. lib. 4. var. d. cap. 17. nu. 5. ad fin. Atque B. Ambrosius in 1. Corinth. 15. hunc librum tanquam apocryphum rejecit, ut tradit Possavin. in apparatu sacro, tom. 2. verbo, Ioannes, fol. 89.

83 Ibi, Qui appellatur Sortes Apostolorum.

Apostolorum scripta inter apocrypha referuntur veluti actus, doctrina, Evangelium, quod inscribitur secundum duodecim Apostolos, Vita, quae sub Abdia nomine prodire, revelationes item, quae dicuntur Apolloli Magni, & Apostolicus liber, qui à Marcione haeretico collectus est è testimonijs epistolarum Pauli adulteratis, & mutilitatis multis, atque de hoc libro dicto Sortes Apostolorum, mentionem faciunt Possavin. in apparatu sacro, tom. 1. verbo, Apostolorum, fol. 124. Baron. tom. 1. anal. anno Christi 44. nu. 49. ubi ait hunc librum commentatos esse Cherintianos, Ebionitas, Valentinianos, Gnosticos, sed praeteris Manichaeos; apud Burchard. lib. 3. cap. 221. legitur Sors Apostolorum, & videbis posita ad cap. Non observetis 26. q. 7.

87 Ibi, Liber Lufanae.

Apud Burchard. lib. 3. cap. 221. legitur Lusa Apostoli, sed corrupte, fidelior namque extat lectio in I. Concil. tomo sub Gelasio Papa fol. 993. in editione Coloniae Agrippinae anno 1551 ubi habetur, Liber, qui appellatur: Lusa Apostolorum, quam lectionem observat Baron. d. nu. 49. & ita habetur in Glossa marginali decreti sub signo †. Vide Covar. lib. 4. d. cap. 17. nu. 5. in fin. & posita supra n. 49. & n. 86.

88 Ibi, Liber Canonum Apostolorum.

De quibus vide posita ad cap. 1. infra dist. 16.

89 Ibi, Liber Physiologus.

85 Hic liber ab haereticis conscriptus est, & B. Ambrosij nomine praesignatus, quem proscribit Gelasius in praesenti. Covar. lib. 4. var. d. cap. 17. nu. 5. in fine, interpretatur librum Physiologum eum esse, qui de rerum naturis tractat, & verè dicit, namque Physiologia verbum est Graecum, significans rerum naturae inquisitionem, ut tradit Cicero 1. de natura Deorum; atque Physiologus rerum naturae persequator. At Physiologia divinationis

de nata sit, & quae habeat fundamenta, & quae possit praedicere, vide Martin. del Rio dequisit. Magicarum, lib. 4. cap. 3. q. 4. Is autem liber non est Physiologus ille putandus, quem Graece Sanctus Epiphanius, iste autem latine creditur compositus, advertit Possavin. in apparatu sacro, tom. 1. verbo, Epiphanius, vers. Scripsit autem, fol. 444.

Ibi, Historia Eusebij Pamphili,

90 Gelasius Pontifex historiae Eusebij Caesariensis auctoritatem ademit, cum eam vocavit apocrypham. Quid? (subdit Canus) an non etiam observandum est, ut qui in fidei Ecclesia fuerit, & fidem Ecclesiae in rebus non habeat? experimur, enim haereticos sectae suae non dogmata solum, ac praeccepta, sed res etiam gestas accommodare; imò verò torquere, atque adeo fingere, ut sectam undique, & comprobasse, & ornasse videantur. At Rhenanus in epistolola nuncupatoria, quam historiae ecclesiasticae praefixit, existimat, vel Gelasium sibi ipsum contrarium esse, vel haec verba ab aliquo a fino adducta fuisse; quorum prius falso, posterius impudenter, ac temere dici constat. Nec Gelasius sibi ipsi adversatur, quia in secunda parte huius textus, nec omnino probat huius authoris lectionem, nec omnino improbat; & in praesenti licet inter apocrypha connumeret Eusebij historiam, nihil contrarium tradit his, quae prius docuerat; si apocrypha interpretemur ea, quae publice in Ecclesijs legi non debent, privatim tamen legi possunt; prosequitur latè Covar. lib. 4. var. d. cap. 17. nu. 7. & vide posita supra nu. 39. & 40.

Ibi, Opuscula Tertulliani.

91 Fuit Tertullianus presbyter provinciae Africae, civitatis Carthaginensis, patre Centurione Proconsulari; eius opuscula ideo apocrypha censentur, quod is author novae prophetiae meminisset, & in libro de Monogamia vim fecerit verbis Apostolicis, & in Montani haeresim secundas nuptias detestantis prolapsus fuerit. Quemadmodum D. Hieronymus, & alij scripsere, ac praeter alios, Vincentius Lirensis in libro adversus haereses: sunt etiam, & apud hunc authorem opiniones quaedam, quae hodie profus ab Orthodoxis improbatæ, & damnatae sunt. Atque ideo inter apocrypha huius authoris opera, censentur, hac quidem significatione, ut legi in Ecclesijs publice minime permittantur, privatim tamen legi possint cautè, & cum ea censura, quae omnia dirigat in catholicae Ecclesiae defensionem. Tertulliani autem errores notavit D. Augustinus. lib. de haeresibus, cap. 86. Vide Covar. d. cap. 7. nu. 8. latissime Baron. tom. 2. anal. anno Christi 201. à n. 5. & annis sequentibus.

92 At, & alij vitam Tertulliani scripsere, praefertim Iacobus Pamelius, qui egregiam operam posuit in illustrando, & emaculando tam antiquo scriptore, sed illud sciendum; beati Rhena-

ni scholia in Tertullianum, iam in Romano Indice omnino esse prohibita. Similem operam, antequam Pamelius cum Tertulliano prodiret, posuerat in hoc interpretando Renatus Laurentius de la Barre, qui anno 1580. Parisijs editus est; quemadmodum Tertullianus Pamelij ibidem anno 1583. apud Michaellem Somnium. Sed, & anno 84. huius sæculi, Romæ editi sunt apud Franciscum Zanetum loci ex coniectura Latini Latini Viterbiensis, vel restituti, vel aliter lecti in Tertulliano, post editionem Iacobi Pamelij Brugensis, de qua supra diximus. Ad extremum Cômmentaria in aliquot huius authoris libros, in lucem emissa sunt, à doctissimo patre Ludovico de Lacerda, perlucidū quidem opus, & quod tanti viri ingenium prodat, & eruditionem. Accessit postea confessio Tertulliana, & Cypriana, fidem Romanæ Ecclesiæ ab 1400. aâis dilucide repetens, authore Frâncisco Theodoro Petreo, unâ cum antidotis, pro eadem cōfessione adversus Lutheranos, & Calvinistas, Parisijs apud Nivellium, anno 1603. Vivebat Tertullianus sub Pontificibus Victorino, & Zepherino; Imperatoribus Severo, & Antonino, anno Christi 200. & seqq. Vide *Possevin. tom. 3. verbo, Tertullianus, fol. 266. Baron. d. anno 201. usq; ad annum 217.*

93 Ibi, Opuscula Posthumiani, & Galli. Sulpitius Severus edidit de rebus gestis S. Martini, simulq; de Ægypti monachis, tres dialogorum libros, qui plura habent emendatione digna, & meritò à S. Hieronymo in *Ezechielem, cap. 36.* arguitur errores Millenariorum, ubi post enumeratos eius erroris sectatores, addidit, & *Nuper Severus nosler in dialogo, cui Gallo nomen imposuit.* Porro Severus assererat, Nerone esse Antichristum, & quod magis est, hanc opinionem impingebat S. Martino. Hæc, & alia Severus in dialogis, qui etsi non alia, hac certè de causa, jure à Gelasio adnumerati sunt inter apocrypha; hoc titulo; *Opuscula Posthumiani, & Galli apocrypha.* Sic enim cômmentarius ille inscriptus habetur, quod in dialogis illis Posthumianus, & Gallus interloquantur, vide *Baron. tom. 1. annal. anno Christi 70. nu. 4. & tom. 5. anno Christi 402. nu. 51.*

94 Fuit Severus (ut est apud Gennadium in Cathalogo) presbyter Aquinaticæ provinciæ, vir genere, & litteris nobilis, & paupertatis, atq; humilitatis amore conspicuus, clarus etiam sãctorum virorum notitia. Hic in senectute à Pelagianis deceptus, agnoscens loquacitatis culpam, silentium usque ad mortem servavit, ut peccatum quod loquendo contraxerat, tacendo penitus emendaret. Porro Sigonius Sulpitium appellavit Beatum; qui planè sanctitatis nomine illustris legitur. Vide *Possevin. in apparatu sacr. tom. 3. verbo, Severus, fol. 212. Baron. d. tom. 5. ann.*

Christi 431. nu. 189. & 190. Cum verò Sulpitij Severi editiones antiquæ non careant maculis, non possunt legi (ut admonet Index Romanus) donec expurgentur. Cæterum vita beati Martini cum collatione Posthumiani, & Galli, pdijt Basileæ, Colonia, atq; Parisijs, unâ cum Abdia Babylonico, sed hic ab ea fecernendus est, tanquam apocryphus, nulliusq; fidei.

Ibi, Montani, Priscillæ, & Ma- 95

ximillæ. Fuit Montanus author nonnullarū hæresum, qui assererat se Paraclitū fuisse, & duæ eius Prophetissæ Priscæ, & Maximilla, quas ipse Montanus tanquam ex eius inspiratione factas jaçtabat. Horum meminit *Augustinus de hæresibus ad Quodvult deum, cap. 26.* Sed prius id fecerat. *Eusebius lib. 5. Ecclesiast. histor. cap. 14. Nicephorus lib. 4. cap. 9. & 22,* apud quos hæc foemina dicuntur Priscilla. & Maximilla, apud Augustinū, & Hieronymum in epistola ad Marcellam adversus Montanum, Priscam, & Maximillam. Hi hæretici ab initio dicti fuerunt Phryges; & quia eorum hæresis dicta est, secundum Phrygas Græcè, postea dicti sunt Cataphryges. Vide *Covar. d. cap. 17. nu. 8. ad fin.* Montanus autem, & Maximilla fertur quod spiritu, & impulsu vesano cōmoti, sibi laqueo mortē conscivere; tradit *Eusebius ubi supra, cap. 15.*

Ibi, Omnia opuscula Faustī Ma- 96

nichæi. Faustus quidem fuit gente Afer, civitate Milivetanus, secta Manichæus; qui quoddam volumen edidit adversus rectam christianam fidem, & catholicam veritatem. Authore Augustino, qui contra hunc hæreticū triginta tres scripsit libros, qui extant *6. tom. oper.* Dicitur est Manichæus à principe huius hæresis Menete quodam Persa, cuius idem *Augustinus meminit in dict. lib. de hæresibus, cap. 46. Eusebius lib. 7. Eccles. histor. cap. 31. Suidas, & alij eiusdem meminere.* Huius ergo authoris libri, cum is hæreticus fuerit, nec publicè, nec privatim legi debent. Adde noviter *Possevin. in apparatu sacro, tom. 1. verbo, Faustus Manichæus, fol. 481.*

Ibi, Opuscula alterius Clem̄e- 97

tis Alexandrini apocrypha. Clemens Alexandrinus Panteni Matyris discipulus, & Origenis præceptor, quiq; post Pantenum Alexandriæ scholam ecclesiasticam tenuit, & institutionum christianæ religionis magister fuit, insignia volumina plenaq; et eruditionis, & eloquentiæ, tã de scripturis divinis, quam de humanis edidit, atq; in publicum emisit authore *Hieronymo de scriptoribus ecclesiast.* cui consentire videntur *Eusebius lib. 5. eccles. histor. cap. 11, & lib. 6. cap. 13. Nicephorus lib. 4. cap. 33.* Claruit anno fere Domini 200. sub Severo, & alijs principibus, ita *Covar. lib. 4. variat. d. cap. 7. nu. 9. in principio.*

Possevin:

Possevin. in apparatu sacro tom. 1. verbo, Clemens, fol. 324. ubi enumerat omnes libros à Clemente compositos, Bellarm. de scriptor. ecclesiast. anno Domini 204. fol. 42.

98 **C**eterum quòd aliquibus nãvis eius commentarij resperfi inveniuntur, ne occasione eius nominis celeberrimi, fideles ad omnia sectanda, quæ ab ipso scripta essent, incautè in errorem adducerentur, Gelasius Papa providè quidem eiusdem Clementis opera apocryphorum nota voluit esse inusta. Nec mireris, nam ea etiam occasione ab eodem sancti Cypriani quoque opuscula eadem censura notata fuerunt. Ceterum quòd mos est hæreticorum, testimonia aucupari magnorum virorum, cum aliter non liceat eorum scripta depravare, atq; corrumpere, accidit planè, ut ab Arianis aliqua in eius commentarijs fuerint immutata, quòd Rufinus testatur in Apologia pro Origene. Hęc *Baron. tom. 2. annual. anno Christi 196. nu. 26. usq; ad nu. 27. agit de Clementis scriptis, & laudibus. Errores autem ipsius Clementis congerit Possevin. ubi supra, vers. Sed quod.*

99 **I**bi, Opuscula Cassiani presbyteri Galliarum.

Fuit Ioannes Cassianus (ut tradunt Gennadius, & Tritemius in Cathalogis) natione Scythæ, Constantinopoli à Ioanne magno, hoc est Chrysostomo Episcopo, diaconus ordinatus, apud Massiliam urbem in Narbonensi provincia presbyter, scripsit de institutis renuntiantium, libros duodecim, & collationum Sanctorum Patrum libros viginti quatuor, idq; lingua latina, quidquid secus aliqui existimaverint. Hi autem libri anno 1580. editi sunt, recogniti Romæ, & iuncti cum regula S. Pachomij ex typographia Domini Basæ. Et quidem primò, quæ ad lectorem initio libri adiuncta est epistola Ioannem Cassianum latinè scripsisse probat. Quin etiam observationes additæ sunt in eundem Cassianum; quoniam Gelasius Pontifex in præfati, opera huius viri ea potissimum ratione iudicavit apocrypha, quòd collatione tertia decimæ, alijsq; locis, de gratia, & libero hominis arbitrio, more Pelagianorù locutus, à Prospero Aquinatico, scripto adversus eum libro, conviclus esset; de quo idem *Cassiodorus lib. 1. Institutionum, monachos suos præmonuit. Vide D. Antonium p. 2. Historiar. tit. 10. cap. 10. §. 2. Possevin. in apparatu sacro, tom. 2. verbo, Ioannes Cassianus, fol. 131. Baron. 5. tom. anno Christi 404. nu. 78. & ano 430. nu. 90. & seqq. Porro Cassiani laudes prosequitur idem Prosper in opusculo contra collatorem. Atq; de eodem Cassiano vide Bellarm. de scriptor. ecclesiast. anno Domini 440. fol. 118.*

100 **I**bi, Victorini Pictaviensis. Qui fuit martyr celebris inter alios Galliarum, qui passi

sunt in persecutione Diocletiani. Fuit Victorinus Episcopus Pictaviensis, qui commentarios à se editos clarus habitus est inter scriptores ecclesiasticos, de quo scribit D. Hieronymus, dum agit de scriptoribus ecclesiasticis. *Victorinus Pictaviensis Episcopus non aequè latinè, ut Græcè noverat, unde opera eius grandia sensu, vilitate videntur expositione verborù. Sunt autem hæc: Commentarij in Genesim, in Exodum, in Leviticum, in Iliam, in Ezechielem, in Habacuc, in Ecclesiasten, in Cantica canticorum, in Apocalypsim, adversus omnes hæreses, & multa alia; ad extremum martyrio coronatus est. Idem Hieronymus scribens ad Paulum epist. 13. de ipso ait. Victorinus in christo martyrio coronatus, quòd intelligit, eloqui non potest. Vide nonnulla p. Covar. d. cap. 17. nu. 10. in fine, latè Possevin. in apparatu sacro, tom. 3. verbo, Victorinus, fol. 346. Bellarm. de script. ecclesiast. ann. Dni 270. fol. 53.*

Sed cum Gelasius in præfati recenscat opuscula Victorini inter apocrypha, nonnulli dicunt esse, eo quòd reperitur in Romano Concilio habito sub Sylvestro, Victorini damnatio, qui Paschale festum nequaquam ex instituto Ecclesiæ catholice, sed decimo Kal. Maij diceret celebrandum. At hæc nequaquam possunt intelligi de Victorino Episcopo Pictaviensi, qui multos ante annos constat fuisse martyrio coronatus tẽpore Diocletiani: Sylvester verò Pontifex fuit tẽpore Constantini Magni. Duplex tamen potest esse ratio, tum quòd (ut de ipso Victorino testatur *Hieron. epist. 35.*) in explanatione scripturarum secutus sit Origenem, tum etiam quòd Millenariorù est sectatus sententiam. Qui quidem error tolleratus fuisse videtur in Ecclesia, usq; ad tempora Damasi; quando eum stabilire conante Apollinare hæresiarcha, ex decreto Apostolicæ Sedis penitus fuit condemnatus. De quo vide *Baron. 2. tom. annual. anno Christi 303. nu. 126. & 127.*

Ibi, Opuscula Fausti Rhegiensis Galliarum.

*Covar. d. cap. 7. nu. 10. in fine, legit Faustini, ait què hunc authorem scripsisse temporibus Valentini, & Theodosij, atq; Luciferianæ hæresi visum esse consensisse; sed longè à veritate distat; namq; apud Gelasium 1. tom. Concil. & apud Burchard. lib. 3. cap. 221. & apud nostrum Gratianum meridè legitur, Fausti. De quo latè agit Gennadius in Cathalogo. Fuit hic in Gallia apud Rhegium, Episcopus factus. Pariter Ioannes Tritemius (ut inquit *Vasq. in 1. p. disp. 91. nu. 52.*) deceptus fuit, dum asserit prius quidem Pelagianum fuisse, deinde verò à Fulgentio ad veram fidem revocatum, atq; idcirco in gratiam illius duos libros de gratia, & libero arbitrio edidisse. Nam imprimis Faustus, aliàs quidem pius, & religiosus monasterij Lirinensis, nunquam fuit plane Palagianus; libro enim illo in primo capite usq; ad sextum,*

textum, & cap. 14. eleganter contra Pelagium necessitatem gratiæ probat. Non negandum est tamen e reliquijs Pelagianorum eum fuisse, sicut Massilienses, & Cassiani fuere, qui semipelagiani sunt dicti. Porro Fausti Rhegiensis scripta Sidonium Apollinarem adhuc tyronem in lacris dogmatibus, atq; alios, fefellerunt. Errores tamen Fausti notati sunt à Cæsareo Arelatensi Episcopo, qui Pelagianum illum detexit. Vide *Possevin. in apparatu sacro. tom. 1. verbo, Faustus Rhegiensis, fol. 480. latissimè Baron. tom. 6. annal. anno Christi 472. nu. 18. & 520. nu. 11. 13. & 14. & anno 490. nu. 15. 19. & 32. Bellarm. de scriptor. ecclesiast. anno Domini 480. fol. 123.*

103 Ibi, Opuscula Frumentij. Frumentius, qui simul cum Aedesio prædicavit Evangelium Indis, invitatus ad hoc opus per Metropium philosophum Tyrium, de quo agit *Ruffinus lib. 1. cap. 9. ab Athanasio Alexandrino creatus Episcopus, ut tradit Theodoretus lib. 1. histor. Eccles. cap. 13. Baron. tom. 3. annal. anno Christi 327. nu. 8. & 9. At ipse profectus ad Indos, dicitur tam insigniter sacerdotio perfunctus, ut eius conata omnes laudarent, non minus illū, quàm Apostolos admirati; quādoquidem Deus per eum multos mirandum in modum sanando, signa, & prodigia edendo, eum reddidit planè illustrissimum, ut tradit Sozomenus lib. 2. histor. Eccles. cap. 23. Socrates lib. 1. cap. 15. Baron. d. tom. 3. anno Christi 356. nu. 18. & 24. sed non pepercit actis Sanctorum, semper invigilans astutia Satazæ, quæ per pravorum hominum mentes eos labefactare curavit; interdum sanctorum vera scripta corrumpens; interdum falsa edens, suppressis veris, & falsis traditis; notat idem *Baron. tom. 2. annal. anno Christi 290. nu. 34. Tandem adverto hunc Frumentium esse cognominatum cæcum, ut videre est in originali apud Decreta Gelasij tom. 1. Concil. ubi etiam legitur Frumentij, & Frumentici.**

104 Ibi, Epistola Iesu ad Abagarū. Apud Gelasium, & Burchard. legitur ad Abagarum; extat hæc epistola in civitate Aedessa, ultra Euphratem, quam Eusebius è Syria lingua translulit in Græcam, *historiar. lib. 1. cap. 13. eam latino idiomate transcribit Baron. tom. 1. annal. anno Christi 31. nu. 58. sic verò se habet. Abagarus Princeps Aedessa Salvatori propitio, qui in consuijs Hierusalem in carne apparuit. Hæc erat epistolæ inscriptio. Interiorem verò scriptionem ita accipe.*

105 Insignes illas virtutes, & curationes, quæ absite sine medicamentis, & sine herbis, facta sunt auditione accipi. Cæcos enim (ut fama est) videre efficit, claudos ambulare, & leprosos mundas, spiritus iracundos, & demones eijs; eos etiam, qui diutius morbis pressi sunt, sanas, mortuos deniq; ad vitam revocas. Quæ quidem cum

de te audivissem, de duobus hisce alterum verum esse cogitabam; te aut Deum esse è cæli fastigio delapsum, aut Dei filium saltem, qui ista tam stupenda edas miracula. Quapropter hæc ad te scripsi, magnopere precatus, ut laborem ad me accedendi suscipere, huncq; quo crucior morbum curare, non graveris. Etenim audio Iudeos tibi obstrepere malevole, & velle libenter aliquo magno malo afficere. Est mihi civitas parvexigua quidem, sed ornatata sane, & illustris, quæ utriq; nostrum verum necessarium suppeditabit satis. Hactenus epistola: sequitur Eusebius. Ista, divino splendore etiam paululum ducente, ad Iesum hoc modo præscripsit. Opera pretium est porro, epistolam licet brevem, plenam tamen virtutis, & efficacitatis audire, quæ per eundem tabellarium à Iesu ad illū missa fuit, cuius quidem hæc erat sententia,

Rescripta Iesu ad Abagarum Principem per Annaniam curatorem missa.

106 **A** Bagare beatus es, qui cum non videris me, in me tamen credidisti; de me enim scriptis proditum est, eos qui me viderunt, in me non credere; ut hi, qui me non viderant, credant, & vitam consequantur. Quod scribis ad me, te velle, ut ad te veniam: eas res, quarum gratia sum missus, debeo hic necessario obire; quas cum plene perfecero, ad eum recipi, qui memisit. Quo simulac assumptus fuero, aliquem ex discipulis meis mutam ad te, qui morbo, quo tantopere torqueris, faciat medicinam, & vitam tibi, tuisq; impertiat. Hactenus Iesu litteræ.

107 Quod pertinet ad dictarum epistolarum fidem, eo quod non reperiantur ab Evangelistis conscriptæ, idcirco Gelasius Papa recenset illas inter apocrypha, quasi non agiographa; nō tamen ut eas ab Ecclesia omnino procribat, sicut nec complures alios libros, quos proxime recensuit, eas verò absq; aliqua dubitatione ab antiquioribus fuisse receptas, evidente testatur epistola 263. Darij Comitæ ad S. Augustinū scripta, in qua earundem argumentum recenset, & ex eis ad persuadendum Augustino, ut sua scripta ad se mittat, exemplum adducit; sed et antea Augustini tempora, ipse S. Ebram diaconus eiusdem civitatis Aedessæ, in ei opusculo, quod novissimum omnium scripsit, cuius est titulus, Testamentum Ephram, de iisdem pistolis egregiam habuit mentionem. Vide *Baron. d. tom. 1. anno Christi 31. nu. 60.*

Ibi, Passio Georgij apocrypha. 108

In qua insunt multa ab hæreticis accepta, ut conflictus ille Goergij cum Athanasio Mgo. Alludit nimirum author ille impius ad Georgium Arianum Episcopum, invasorem kdis Alexandriæ, & magni Athanasij eius sedis Ipsi

copi pugnacissimum persecutorem, Athanasium enim ab Arianis esse magum appellatum, Acta Tyrij conciliabuli satis docent; apud gentiles etiam de eo sparsam esse calumniam, constat ex *Ammiano Marcellino lib. 15.* At Georgium Arianum Episcopum, defuncto iam Constantio Imperatore, occisum esse ob sua scelera Alexandria, relatumque a suis inter martyres, liquet restante id etiam *Marcellino lib. 22.* Ex quibus sane, apparet totam illam de Actis Georgij fabulam fuisse commentum Arianorum. Leguntur in eodem alia nonnulla indigna martyre; ut phanatica quaedam, & portentosa, suspectum contubernium viduae, ars dolosa eiusdem ad perdendos Gentilium magos, atque enecandos gentiles; innumera praeterea tormentorum genera, quibus agitatus Georgius, nec mori potuit; de quibus vide latissime *Baron. in Martyrologio 23. Aprilis, & tom. 2. annal. anno Christi 290: nu. 35.* & utrobique huius textus meminit.

109. Ibi, Passio Cyrici, & Iulitae apo-

crypha. De his Beda, Vsuardus, Ado, & caeteri latinorum; Graeci autem in Monologio Idibus Iulij, ubi Tharsi Ciliciae eos occubuisse martyrio tradunt; quod verum esse legitima eorundem acta testantur; ex his plerique latinorum sunt corrigendi, qui Antiochia eos referunt; exciderunt proculdubio ea Acta Cyrici, & Iulitae, quae Gelasius Papa, ut commentum haereticorum procul hinc reiecit; diversa omnino ab illis censentur, quae recitat *Metaphrastes*, quae & retulit *Lippom. in tom. 6. & Sur. in tom. 3.* quorum summam Graeci referunt in Monologio. *Molanus in addit. ad Vsuardum 2. edit.* post *Lippomani*, & aliorum eruditorum sententiam, dum probat eadem a *Metaphraste* edita acta praedictorum martyrum, addit *Gelasium* non intellexisse de illis ipsis actis Graece conscriptis, sed de his quae edita erant latine, & manuscripta habebantur. Videbis late, & elegantius *Baron. in notis ad Martyrolog. die 16. Iunii.* Plane admirabilis istius Iulitae cum filio *Quiricio* infantulo, nomina cum passione notata, habentur publicis monumentis, hoc titulo. *Quiricus triennis puellus, cum matrem, quae ante Alexandrum Praesidem nervis dirissime cadebatur, implacabili luctu lugeret, ad gradus tribunalis illisus interijt, Iulita vero post dira verbera, & gravia tormenta martyrij sui cursum obruncatione capitis complevit.* Vide ipsum *Baron. tom. 2. annal. anno Christi 305. num. 15.*

110. Ibi, Scriptura, quae appellatur

Contradictio Salomonis. Spiritu Sancto actus fuit Salomon ad scribendum; quod satis est ad eius libros commendandos, Propheta item fuit ante lapsum; qui si poenitentiam post lapsum egerit, quemadmodum praeter Hebraeos hoc

ipsum asserentes, existimarunt *Cyrillus Hierosolymitanus Cathec. 2. Hieronymus lib. 12. in Ezechielem cap. 43. Epiphanius contra haeresim 42. lib. 1. tom. 3. in principio. Bacharius in epistola ad Ianuarium de recipiendis lapsis.* & alij qui dubitant, an post poenitentiam potuerit prophetare? Videat lector in hac tota re accuratissime differentem *Martin del Rio sect. 3. in Isagoge ad summi in Salomonis Canticum Canticor. commentarium.* Nam quantus iste inde fuerit Salomon in suis inscriptionibus, ipse quidem indicat. Vide nonnulla per *Covarr. d. cap. 17. nu. 12. in fine, late Possevin. in apparatu sacro, tom. 3. verbo, Salomon, fol. 181. latissime Pineda in Societate Iesus, lib. 8. 1010 cap. 1. de rebus Salomonis, qui efficacissime probat Salomonem falsum fuisse. Porro de libro praenotato, contradictio Salomonis, qui a Gelasio reprobatur, quoniam plenus est diabolicarum imposturarum, quemadmodum liber de umbris Idearum, & alter qui dicitur Clavicula Salomonis. Vide *Sixtum Senensem lib. 2. Bibliothecae, in verbo, Salomon. Possevin. verbo supra, fol. 188. vers. Fertur, Bellarmin. de scriptor. ecclesiast. verbo, Salomon, fol. 6.**

Ibi, Philacteria omnia. Pharisei

olim apud Iudaeos Decalogum in membranulis scribere consueverunt, & in fronte ligare, ut religionis intimae speciem praebent; dicebanturque haec membranulae Philacteria; quasi custodientia in memoriam praeccepta illa, quae custodire tenebantur, & veluti in custodiam, & munimentum sui haberent, sicuti in *Matthaeum cap. 23. nu. 5. explicarunt Hieronym. Chrysostom. & alij Iustinus item Martyr in Dialogo cum Triphone adversus Iudaeos pag. 34. Idque faciebant Pharisei prave intelligentes mandata legis a Domino data per Moysen: Deuteronom. cap. 6. nu. 8. Haec igitur dicebant Philacteria, idest conservatoria, ad quorum similitudinem, & exemplum arioli, & excitatores ad se ducendos simplices animos, quasdam membranulas scriptas potius a Daemone, quam ab Angelis, exhibebant Christianis; quasi haec Philacteria forent illis admodum utilia in tutelam corporis & animae; quae quidem praeter *Gelasium* omnino prohibet *Gregorius 3. cap. 12. suorum decretorum, & Concilium Laodiceum cap. 30. Vide Covarr. lib. 4. variat. d. cap. 17. num. 12. in principio. Vide etiam Martin. Delt. de magia. lib. 1. cap. 4. q. 4. ubi de Philacterijs quibus utebantur athletae, ne Circereis magicis superarentur ab adversarijs. Celius lib. 5. lect. antiq. cap. 9. non quidem philacteria, sed philateria ex Hebraeo fonte legendum putat. Huius tamen sententiae refragatur *Origenes, & Euthymius apud Ioannem Maldonat. cap. 23. Matth. nu. 5. ubi affirmant esse nomen Graecum. Praeterea D. Hieron. eodem loco asserit, hanc iactandi philacteria consuetudinem, non solum a Iudaeis esse observatam, sed etiam ab Indis, Persis, & Babylonijs hunc morem ad***

sua usque tempora diffluxisse. Qua de re omnino est consulendus *Abulensis* q. 32. & 33. in cap. 23. *Matth.* ubi rem discutit eleganter. Neque displicet *Erasmus*, imò inter multa audacter, & flagitiosè dicta in suis commentarijs in *Matth.* non quidem in explicandis philacterijs à verò aberravit scopo. *Pharisæi*, inquit, quò viderentur admodum observantes legis, scribebant decalogum in duobus voluminibus, quorum alterum fronti, corona vice circum ponebant, alterum brachio. Ac si divinæ legis observantia non solum capiti coronam, sed etiam brachio adderet scutum omnibus adversariorum ictibus formidabile; ut egregiè notavit *Abulensis*, & *Chrysostomus* iam relati. Ne verò aliquid eruditionis hac in notula possit desiderari, addo ex *Guilielmo Episcopo Minaten.* in suo *rationali, philateriam*, sive *philateriam* fuisse vasculum ex auro, argento, crystallo, aut ebore confectum, in quo sanctorum cineres, ac reliquæ servabantur. Ex quo derivantur *philateria*, in quibus legis præcepta similiter custodiebantur.

112 Post medium textus in §. Hęc, & omnia his similia. In hoc §. enumerat *Gelasius* nonnullos hæresiarchas, hæresum inventores, quos damnat sub anathematis vinculo. Nos de illis commodiùs agemus in cap. *Quidam* 24. q. 3. ubi hæreses, & eorum authores colliguntur, & condemnantur.

113 Antefinem textus in §. Cæterum qui libri. Hunc §. ponit *Butchardus* separatim lib. 3. cap. 222. Ivo p. 4. cap. 63. & nota modum, secundum quem novum, & vetus testamentum distribuitur in Ecclesia per totum anni circulum; & collige *Breviarium* secundum ordinem huius textus debere inchoari à septuagesima; sed tamen hodie incipit ab Aduentu Domini. At de his tractabimus infra multis in locis; interim vide *Suarium* tom. 2. de religione lib. 4. de orat. à cap. 1. vsq. ad 11.

114 In Glossa verbo *Cyrici*. Eam citat, & reprobat *Bellarmin.* de verbo Dei lib. 1. cap. 20. vers. *Quod autem.*

DISTINCTIO. XVI.

CAP. Canones. I.

SUMMARIUM.

1 Canones Apostolorum per Clementem primum translati.

2 Canones Apostolorum an rejiciantur? & num. 3.

4 Libri hæreticorum an debeant legi?

5 Libri apocryphi qui dicantur.

IN principio distinctionis, ibi, Per Clementem Pontificem.

De Canonibus Apostolorum variè ab historiographis, & veteribus theologis tractatur, sed cõmunis videtur traditio, per Clementem primum Pontificem Romanum fuisse translatos, ut habetur in codicibus Græcis, & tradit *Nicephorus* lib. 3. cap. 18. & *Gratianus* in *presenti* *Covar.* lib. 4. *variæ.* cap. 17. nu. 6. qui minus bene existimat *Nicephorum*, & *Gratianum* inter se pugnare, licet in latinis codicibus absque Clementis nomine inscriptis plerumq. reperiantur; ac fortasse inde accidit, ut *Gelasij* censura eos rejiciat, ut post *Baron.* notavit *Possevin.* in *apparatu sacr.* tom. 1. verbo, *Apostolorum acta* fol. 123.

Ad textum. Collige ex textu quoddam Ca-

nones, qui dicuntur Apostolorum, rejiciuntur autoritate Apostolica; ut ex *Isidoro* tradit hic noster *Gratianus*, illos etiam tanquam apocryphos proscripsit *Gelasius Pontifex* in cap. *Sancta*, supra dist. 15. & ibi notavimus nu. 88. ex eo, quod sit incertum, ab ipsis Apostolis esse conscriptos; & quia non nisi ex traditione eos manasse sanctissimi Patres exploratum haberent, ea de causa factum est, ut Romani Pontifices *Innocentius*, *Leo*, *Gelasius*, atq. *Gregorius*, sic ex illis videantur petijisse autoritatem, ut tamen Apostolorum nomine speciatim citare Canones temperaverint. Quod ergo inter *Canonicos* libros non sunt adnumerati, ea ex parte quod autoritate careant, nec constet ab Apostolis esse omnino sancitos, apocryphi dici meruerunt. Qua etiam ratione sanctus *Athanasius* in synopsi eiusdem *Clementis*, scripta inter apocrypha illa connumerat, quæ ab antiquo scripturarum Canone essent aliena; quot verò à sanctis Patribus privatim, & à sacris Synodis publicè sunt recepti, meritò authentici dici debent; prosequitur latè *Baron.* tom. 2. *annal.* anno Christi 102. nu. 10. & seqq.

Ibi, Ab hæreticis compositi. 3

Hæc est causa, quare *Gelasius* in d. cap. *Sancta*, posuit inter apocryphos Canones Apostolorum, quod propter aliquos, vel corruptos, vel additos ab hæreticis fecisse videtur, ut tradit *Bellarmin.* de verbo Dei cap. 20. vers. *Quod ad priorem*, quem sequitur *Possevin.* in *apparatu sacro*, tom. 1. verbo, *Apostolorum acta*, fol. 123. notabis tamen esse verba *Isidori*, quem transcripsit *Gratianus* in præ-

presenti; sed *Baron. tom. 2. d. anno. 102. nu. 11.* ex germana Isidori lectione, contrarium asseverat; namque sic reponit integram sententiam Isidori. Denique, propter eorum auctoritatem, ceteris Concilijs præposuimus Canones, qui dicuntur Apostolorum (licet à quibusdam apocryphi dicantur) quoniam plures eos recipiunt, & sancti Patres eorum sententias Synodali auctoritate roboraverunt, & inter canonicas posuere constitutiones. Hæc Isidorus. Vide *Baron. ubi supra, & posita ad cap. Placuit, infra, hac eadem dist.* Item *Martinum Aiala de tradit. ecclesiast. part. 3. pag. 171. Viquer. de instit. cap. 17. §. 1. vers. 3. Covar. 4. resolur. cap. 17. nu. 6.*

4 Ibi, **Quanvis utilia inveniantur.**

Et ita libri hæreticorum magis sunt comburendi, quam legendi, nam licet in alijs aliquid boni reperiri possit iuxta illud. Hieronymi. *Nullus liber tam malus, in quo aliquid, quod bonum sit non reperitur.* Tamen quia omnia tendunt ad malum, & maius est mali periculum in legente, quam boni spes, ideo debent prohiberi; hoc enim est proprium hæreticorum, ut bona malis, vera falsis immisceant, ut sic facilius imponant legentibus, eosque illudant, & in foveam trahant, sicut auceps cantu, piscator esca, ut ex *Divo Gregorio lib. 5. moral. tradit Decian. tract. criminali, lib. 5. cap. 46. à nu. 1. ubi textus meminit, & ante illum docuit Simanch. de catholic. cap. 38. nu. 10.* & vide quæ notabimus in *cap. Fraternitas, de hæreticis.* Nec modo hæreticorum, sed etiam profanorum librorum lectio ab Apostolis iam initio nascentis Ecclesiæ interdicta; ut videri potest ex his, quæ scribit *Clemens Papa lib. 1. constit. Apostolicarum, cap. 7. & refert Penña ad Directorium 2. p. comment. 19. in fine, quem vide.* Neque omittas *Anastasium Nicenum, quæst. 79. ex Constitutionibus Apostolicis, lib. 1. cap. 6. ubi à profanis literis jubet abstinere, & sacrorum librorum lectioni summo studio invigilare.* *Ab ethnicis, inquit, libris abstinete. Quid enim tibi est cum libris alienis, qui leviores evertunt à fide? Quid tibi deest in lege Dei, ut ad illas gentium fabulas te conferas?* Et sane profana lectio, instar pestis in animum serpit, & grassatur; instar tineæ pulcherrimam gratiæ, & sanctitatis stolam paulatim corrumpit; instar edacissimi curculionis ingentem virtutum acerum depopulatur; ut passim apud sacros doctores reperies.

5 In Glossa Ultima. Hi libri quos refert Glossa sunt

Canonici, apocryphi tamen dicuntur, quia auctores ignorantur, licet de veritate non dubitetur. *Albert. de agnoscend. q. 22. nu. 51. Covar. lib. 4. variar. cap. 17. nu. 1. Adde Trident. sess. 4. Sed hoc improbat Bellarmin. de verbo Dei lib. 1. cap. 20. in principio; dicitque non esse probabile apocryphos vocari eos libros, quorum author ignoratur; nam tunc multi libri sacri essent apocry-*

phi; ut liber judicum, Ruth. Job, primus Machabæorum, & permulti alij, quorum auctores ignorantur; quod tamen abhorret ab usu loquendi Ecclesiæ, quis enim unquam audivit librum Canonicum, & apocryphum? Sequitur *Gertserus in defensione. Bellarmin. tom. 1. lib. 1. cap. 20. post vers. Quando igitur, qui Glossam interpretatur, & vide posita supra in cap. Sancta. nu. 45. & 46.*

C A P. Sexaginta. II.

S V M M A R I V M.

- 1 Zepherinus Pontifex quis fuerit?
- 2 Numerus Canonum Apostolorum.
- 3 Apostoli controversias definiebant.

IN superscriptione, ibi, Zepherinus. Qui fuit Romanus, filius Abundij, creatus Pötifex anno Domini 203. sedit in throno Pontificio, Septimio, Severo, Antonio Caracalla, Macrino, Diadumeno, & Antonio Heliogabalo Imperatoribus Augustis. Statuit ut consecratio divini sanguinis, in vitreo vase fieret, non autem in ligneo, ut antea fieri consueverat. Idem instituit, ut omnes christiani ad ætatem pubertatis pervenientes, singulis annis in solempni die Paschæ, publicè cõmunicarent, quod quidem institutum Innocent. 3. ad confessionem peccatorum traduxit. Mandavit item, ne episcopus, vel à Patriarcha, vel à Primate, vel à Metropolitano suo, in iudicium vocatus, sine auctoritate Apostolica dånaretur. Vide *Platinam in vita ipsius Zepherini, latius Alphonsum Chaconium de vitis, & gestis Pontificũ, fol. mihi 49. Baron. tom. 2. annal. anno Christi 204. & deinceps.* Mortuus fuit anno 218. aut 219. cum viginti annos integros Ecclesiam rexisset; ut tradit *Possevin. in apparatu sacro, tom. 3. verbo, Zepherinus, fol. 308. licet Baron. tom. 2. annal. dicat sedisse annos 18. quem sequere.*

Ad textum, ibi, Sexaginta sententias Apostoli præscripserunt.

De numero Canonum Apostolorum variè cõtrovertitur. Namque Zepherinus in præsentibus, sexaginta esse demonstrat, traditque observandos; licet septuaginta ex eiusdem Zepherini epistola tradat *Bellarmin. lib. 1. de Verbo Dei, d. cap. 20. vers. Quod priorem.* Et quidem qui primus è Græco sermone Canones Apostolicos in latinum vertit, accuratissimus, atque fidelissimus interpretis Dionysius Græcus author, & inter latinos magna cum laude diu versatus, quinquaginta

ginta tantum reperit; quam obrem opinati sunt nonnulli, sexaginta illas sententias, quinquaginta ijs Canonibus à Dionysio translatis contineri. Sed quicquid sit, quinquaginta tantum Canones, eosdemq; à Dionysio in latinum translatis, novit antiquitas; qui in nova editione quadraginta novem numero continentur, ita ut ultimus habeatur ille, quo agitur de trina in baptisate mersione. Et quidem qui his supersunt, usque ad numerum octogesimum quintum, quos habet Canon ille, qui dicitur *Sexta Synodus* postea emanarunt. Ita *Baron. tom. 2. annal. anno Christi 102. nu. 12.* & vide posita supra in *cap. 1.* & infra in *cap. 3. & 4. hac eadem dist.* Adde *Jacobum Gretserum in defensione Bellarm. tom. 2. lib. 1. cap. 10. vers. De Gratiano, & vers. De Martiali, fol. 54.*

3 In eodem textu, ibi, Et servandas censuerunt. Apostoli consueverunt ipsi obortas controversias communi confesso, atq; consensu, statutis, quibusdam regulis definire; quæ facta sunt Hierosolymis, cum de Legalium usu agitata est controversia, ut constat ex *Actis 15.* & post *Clementem, & Saphronium*, tradit *Baron. tom. 2. d. anno 102. nu. 18.* Canones Apostolorum negare, quomodo, & qua ratione sit absurdum? Vide *Turrianum de Canonibus Apostolorum, lib. 1. cap. Vlt.*

C A P. Clementis. III.

S V M M A R I V M.

- 1 Leo 9. quis fuerit?
- 2 Itinerati Petri Apostoli apocrypha.
- 3 Canonum Apostolorum numerus secundum Leonem.
- 4 Dicitur esse alicuius, id, quod reputatur suum.

1 **I**N superscriptione, ibi, Leo 9. Natione Alemanus, Bruno antea vocatus, Hugonis filius, pontificatum hac ratione iniit. Anno Domini 1049. Romani legatos ad Imperatorem Henricum 3. miserunt, orantes ut optimum Pontificem sibi daret Imperator, Brunonem Episcopum Tulensem legatis, & Romanæ Ecclesiæ obtulit, cui quidem Romanam Pontificio habitu petenti, Hildebrandus monachus Cluniasensis obviam factus, persuasit, ut deposito pontificali ornatu Romam privatus ingrederetur; quia Henricus nullam creandi Pontificem potestatem habebat. Motus his verbis Leo, cum etiam vocem de cælo

intercundum audivisset; Ego cogito patris cogitationes, non afflictionis; *Jeremia cap. 29. nu. 11.* deposito pontificio apparatu. Romam privatus ingreditur, se ipsum accusans, quod Imperatori maluerit, quam Deo, obtemperare. At verò clarus Romanus, suadente Hildebrando, eundem Brunonem in Pontificem eligunt; eo libentius, quod omnem authoritatem creandi Pontificem ab Imperatore (ut par erat) ad clerum translulisset. Fuit Leo vir pietate, innocentia, gratia, hospitalitate adeo insignis, ut eius domus peregrinis, & pauperibus, semper patuerit; nam cū semel antefores leprosum pauperem invenisset eumq; collocari in lecto suo mandasset, apertis manè à ianitore foribus, nusquam pauper inventus est, & Christum pauperis nomine eo loci recubuisse creditum. In rebus præterea ad religionem pertinentibus, tanta diligentia, & solertia usus est, ut in Concilio Vercellensi Berengariorum hæreseos authoritatem damnaverit, & Constantinopolitanum Imperatorem suis monitionibus impulerit, sepulchrum Domini Hierosolymis à Barbaris dirutum, restituere. *Lege Platnam in eodem Leone, latissimè Alphonsum Chacon de gestis Pontificum fol. 296 Baron. tom. 11.*

In textu ibi, Petri Apostoli Itineratio. 2 Inter alia scriptorum eiusdem Clementis monumenta, recensentur circuitus Petri; qui ab alijs interdum Itinerarium Clementis, ac rursus recognitionum Clementis nomine libri illi decem, sunt appellati; & re vera à Clemente eius argumenti libros esse conscriptos, nulla fuit apud antiquos dubitatio; sed eos, adhuc ipso Clemente vivente, ab Ebionæis hæreticis fuisse depravatos, testatur *Sanctus Epiphanius hæresi 30.* & ab *Eunomianis* quoq; eisdem esse corruptos, *Ruffinus affirmat in præfat. ad Gaudent.* Vnde merito liber ille in præfenti rejicitur, & *Gelasius Pontifex* recensuit inter apocrypha, ut notavimus supra in *cap. Sancta dist. 15. nu. 50.* Adde *Baron. tom. 2. annal. anno Christi 102. nu. 11. & 12.*

Ibi, Quinquaginta capitulis. 3

Ergo secundum decretum Leonis Pontificis Canones Apostolorum tantum sunt quinquaginta ut notavimus supra ad *cap. sexaginta n. 2. hac eadem dist.* & vide *Jacobum Gretserum in defensione. Bellarm. tom. 2. lib. 1. cap. 10. vers. de Martiali. fol. 54.* & vide posita infra in *cap. Sequenti.* At circa Canones istos, qui à Clemente versi dicuntur, & nomine Apostolorum circumferuntur, vide *Turrian. de Canonibus Apostolorum lib. 1. cap. 1.* Constitutiones autem Clementis Pontificis, *Carolo Bovio Episcopo Oiliensi interprete* prodierunt *Venetijs, ex officina Jordanis Zileti anno 1563.*

4 In Glossa verbo, Clementis.

Nota quòd dicitur esse alicuius id, quod non est suum; unde si reserventur beneficia alicuius, non solum censentur reservata illa, in quibus habet Canonicum titulum, verum etiam illa quæ possidebat, licet in eis Canonicum titulum non haberet, *Rota 8. de electione aliàs 274. in antiquis*

C A P. Placuit. III.

S V M M A R I V M.

- 1 Octoginta quinque Canones Apostolorum fuerunt recepti.
- 2 An Canones Apostolorum in Concilijs debeant proponi?
- 3 Disputatur de authoritate, & numero Canonum Apostolorum.
- 4 Liber chronicorum an probetur?
- 5 Maior authoritate habet priorem vocem in ferendo suffragium.

1 **C**ollige ex textu fuisse receptos à sancta sexta Synodo octoginta quinque Canones Apostolorum: sed ex his insurgit contrarietas, nam quæ in præsentis dicitur 85. capitula Canonum Apostolorum esse servanda. *Zepherinus* verò supra in cap. *Sexaginta*, dicit Canones esse 6. *Leo* verò in cap. *antecedenti* dicit esse quinquaginta, quos omnes esse renuendos decrevit cap. 1. huius dist. Sed quod pertinet ad textum nostrum, quo approbantur 85. Canones Apostolorum, respondetur non esse hos Canones sanctæ Synodi, ut dicit *Gratianus* sed cuiusdam alterius Concilij postea celebrati, quòd summus Pontifex *Sergius*, qui tunc sedebat, non solum non approbavit, sed etiam reprobavit, ut post *Bedam* tradit *Bellarmin.* de verbo, *Dei lib. 1. cap. 20. vers. Quoad priorem, & seqq. & circa alias difficultates vide posita in cap. 1. nu. 2. & 3. hac eadem dist. & prosequere cum infra dicendis.*

2 In §. *Isidorus.* Ex *Isidori* sententia tradit *Gratianus*, Canones Apostolorum cæteris Concilijs esse præponendos, cuius contrarium ipse *Gratianus* docuerat ex eodem *Isidoro* in cap. 1. hac eadem dist. At præsens lectio omnino tenenda est, reprobata superiori, ut ibi notavi, & tradit *Baron.* tom. 2. *annal. anno Christi 102. nu. 11.* qui infine huius textus meminit.

3 Verum his de authoritate, & numero Canonum Apostolicorum discussis, illi tantum no-

bis ex Apostolicis fontibus Canones fluxisse iure videri possunt, qui vel à Patribus inter alios sacros Conciliorum Canones sunt recepti, vel Romanorum Pontificum authoritate firmati, aut in communem usum Ecclesiasticæ disciplinæ transfisse noscuntur; quæ enim ab Apostolis tradita essent, & ad posteros temporum successione delapsa, ea summorum Pontificum authoritate, Conciliorum decretis, & vniuersalis Ecclesiæ consuetudine roborata, ac penitus stabilita esse, ut nefas sit his aduersari, quis poterit dubitare? 2. His includi quinquaginta illa capitula à *Dionysio* è Græco translata, certissimum est. Alia superaddita sic alijs in locis posita esse noscuntur, ut in dubium æquè reuocari possit, an inde accepta fuerint, vel in eam translata? Sed ut cum quæ acciderit: Quòd sancta Ecclesia eaprobasse noscatur, siue quòd ab Apostolis fuerint instituta, siue quòd Conciliorum decretis fuerint confirmata, merito, iureque authentica habeantur.

In Glossa verbo, *Isidorus*, quia 4 positi sūt in Breviario. Nota ex Glossa, quòd liber *Chronicorum* in istis factis antiquis inducit probationem. Glossa similis in cap. *Inter dilectos*, verbo, *Magis, de fide instrum. Gama decis. 335. Mascard. de probat. tom. 1. conclus. 287.* cum quo declarabis.

Ibi, Glossa verbo, *Præponimus*, 5 ibi, *Priorem vocem.* Ergo illi, qui maioris sunt authoritatis, debent habere priorem vocem in ferendo suffragium, aut in eligendo, ut profertur *Afflict. decis. 1. ad fin. Boerius de authoritate Concilij, nu. 62.* post alios *Marant. de ordine iudiciorum in proœmio, nu. 8. Felin. in Rubr. de maiorit. nu. 2. Tirac. in præfat. de primog. nu. 151.* Quantum verò ubique gentium, & terrarum, valeat maior personæ, dignitas, & auctoritas, ut reliquis præponatur; non solum poetarum, sed etiam sacrorum interpretum testimonijs probatur. Ut constat ex *Plauto* in *Pers.* viris dignitate, & auctoritate præcellentibus, non solum primos accubitus, sed primos etiam deberi sermonis aditus. *Summates*, inquit, *viri summi accumbent, ego in infimatis infimus*; quasi de re magna confessum, & Concilium habituri, eo essent locorum, ac sedium ordine dispositi, quo suos essent suffragiorum calculos edituri; ut nihil singulorum auctoritati derogaretur. Neque longe fuit ab hac consuetudine, totius ille *Ægypti* salvator moderatorque *Iosephus*, cum fratres suos regio exceptos convivio, non quidem confuso, sed distincto nativitatis ordine, mensis iussit discumbere. *Sederunt coram eo primogenitus iuxta primogenita sua, & minimus iuxta ætatem suam Genes. 43. nu. 33.* quo in loco *Lippomanus*, alijque apud eum concatenati

nati interpretes, ideo factum esse creditum, ut non solum in sedibus, sed etiam in sermonibus plus digniori, quam minus digno deferretur.

C A P. Sextam Synodum. V.

S V M M A R I V M.

1 *Adrianus Pontifex recepit octoginta quinque Canones Apostolorum.*

NOtabis ex textu Pontificem Adrianum recipere octoginta quinque Canones Apostolorum, quod etiam facit ad cap. *Placuit supra hac eadem dist.* Sed ultra ibi posita respondebis, non Adrianum Papam, sed Tharasium Patriarcham Constantinopolitanum, eos Canones recipere, & approbare; ut constat ex *Synodo 7. Act. 1. & 2.* Adrianus verò Papa refert tantum verba Tharasis, & hallucinatus est Gratianus in præsentem, dum allegat, & accipit ea verba tanquam Adriani Papæ. Extat enim epistola Adriani ad Tharasium, ex qua fragmentum malè citatur à Gratiano; non enim ut ponit dixerat Adrianus: *Sextam Synodum sanctam recipio, cum omnibus Canonibus suis;* sed ut habet germana Anastasis versio secundum ea, quæ præposita fuerant à Tharasio *Quare easdem Sanctas sex Synodos suscipio, cum omnibus regulis, quæ iure, ac divinitus ab ipsis sunt promulgatae.* Ita Baron tom. 2. *annal. anno Christi 102. nu. 13.* Bellarm. de *Concilijs lib. 2. cap. 8. vers. Decimotertio, & seqq.* Azor *instr. moral tom. 2. lib. 5. cap. 16. vers. Tertio obijetes. Possevin. in apparatu sacro, tom. 1. verbo, Apostoli, vers. Qui verò sol. 123.* Nec obest, quòd quidam Pontifices aliquando aliquos ex his Canonibus citant, quia id fecerunt, quando agebant contra Græcos, ut eos proprijs armis confoderent; veluti Apostolus *Act. 17 vers. 28.* & ad *Titum 1. vers. 12.* citavit Aratum, & Epimenidem. Sicut igitur Apostolus non ideo approbavit, ut vera, omnia quæ dicti Poetæ dixerunt; sic nec Pontifices probarunt ut bona, omnia quæ dicti Canones continent, ut docet Baron. tom. 8. *anno Domini 692. sub finem.*

C A P. Habeo librum. VI.

S V M M A R I V M.

1 *Patriarcha tenentur venire ad Concilium.*

2 *Sexta Synodus quando fuit soluta?*

3 *Filius Imperatoris potest eligi in Imperatorem.*

4 *Gesta in generali Concilio subscribuntur per Patres qui interfunt.*

5 *Hæresis Monothelitarum reprobata.*

6 *Quatuor anni dicuntur multum tēptus.*

NOtat hunc textum *Præpositus in cap. Canones, nu. 2. post med. dist. 15.* ad hoc quòd Patriarchæ tenentur venire ad Conciliū, & de materia eius vide posita ad duo capita supra proxima.

In vers. Et soluta. Soluta est hæc ² sexta Synodus

sub anno 14. Constantini Pogonati, in qua promulgati fuerunt Canones, qui dicuntur *sexta Synodi*, quanvis alio respectu posse dici, *septima Synodi*, contendant *Franciscus Gratianus in compendio juris Canonici 1. p. decis. 2. in fine, nu. 38. vers. Dicitur autem.*

In eodem vers. ibi, Justiniano ³ filio. Notat *Gregorius Lopez part. 2. tit. 1. l. 2. Glossa Vlt.* ubi per hunc textum dicit, quod filius Imperatoris potest immediatè eligi in Imperatorem, post mortem patris.

In eodem vers. ibi, Super scrip- ⁴ serunt. Collige quod ea, quæ gesta sunt in generali Concilio, subscribuntur per Patres, qui interfunt Concilio; per hoc enim videntur ab eis approbata. Nam qui instrumēto subscribit, contenta in eo approbare videtur, nisi erraret; ut in *l. Fideiussor, §. Si tibi, ff. de pignor. & in l. Sicut, §. Non videtur, ff. quibus modis pignus, vel hypoteea solvatur, & in l. Distrabente, Cod. de rebus alienis non alienand.* Ideo *Innocentius in cap. 1. De fide instrum.* reprehendit eos, qui subscribunt chartas vacuas: quia si quid postea in eis superscribitur; videntur approbare, & sic possent decipi. Si tamen constaret de errore, excusarentur per prædicta jura.

In vers. Sancta, ibi, Monothe- ⁵ litas. Hæc hæresis asserbat in Christo tantum unam fuisse voluntatem, videlicet divinam; huius hæresis author fuit Macharius Antiochenus Episcopus, qui condemnatus est in sexta Synodo Constantinopolitana, sub Agathone Papa celebrata. Huius hæresis fautores dicti sunt Monothelitæ, non (ut quidam corruptè dicunt) Monoselitæ à Monoso illius hæresis authore, sed Monothelitæ dicti sunt ab una tantum voluntate, quam Christo tribuebant, ut ex verbo Græco, *Monos*, quod est unum, & *Celon*, quod est voluntas, comprobatur *Alphonsus à Castro adversus hæreses, verbo, Christus, vers. Sexta est hæresis.* Qua de re consule *D. Thom. 3. p. q. 18. art. 1. & Suar. 1. tom. in 3. p. disp. 37. per totam*

rotam. Qui huius hereseos damnatam falsitatem hoc uno probant argumento. In Christo Domino non solum humana, sed etiam divina dabatur natura in eadem persona subsistens; ergo cum duplici natura duplex erat voluntas, altera divina, humana altera. Quæ veritas habetur definita in cap. Firmiter. De sum. Trinit. ad illa verba: *Vna in duabus naturis persona.*

Ad finem ibi, Quarto, aut Quinto. Nota quod quatuor, vel quinque anni dicuntur multum tempus, & circa hoc vide Glossam vlt. in Clemet. 1. de rebus Ecclesia, receptam per Covar. 2. resolut. cap. 16. nu. 3.

C A P. Quoniam. VII.

S V M M A R I V M.

- 1 *Sexta Synodus quando celebrata?*
- 2 *Sextæ Synodi acta corrupta à Theodoro.*
- 3 *Epistola ad Hebræos Canonica.*
- 4 *Numerus Canonum Apostolorum.*
- 5 *De Synodo Nicæna.*
- 6 *De Synodo Ancyrana.*
- 7 *De Synodo Neocæsariensi.*
- 8 *De Synodo Gangrensi.*
- 9 *De Synodo Antiochena.*
- 10 *De Synodo Laodicensi.*
- 11 *De Synodo Constantinopolitana.*
- 12 *De Synodo Ephesina.*
- 13 *De Synodo Calcedonensi.*
- 14 *De Synodo Sardicensi.*
- 15 *De Synodo Carthagenensi.*
- 16 *Opuscula Theophili.*
- 17 *Dionysius Alexandrinus quis?*
- 18 *Petrus Alexandrinus quis?*
- 19 *Gregorius Thaumaturgus quis?*
- 20 *Athanasius quis?*
- 21 *Basilius quis?*
- 22 *Gregorius Nyssenus quis?*
- 23 *Gregorius Theologus quis?*
- 24 *Amphilochius Iconiensis quis?*
- 25 *Timotheus Alexandrinus quis?*
- 26 *Gennadius Constantinopolitanus quis?*
- 27 *Cyrillus Alexandrinus quis?*
- 28 *Cyprianus Carthagenensis quis?*
- 29 *Synodum Cyprianus celebravit.*

In superscriptione ibi, Constitutiones Synodi Sextæ. Fuit Sexta Synodus anno Domini 680. Agathone Papa, anno eius 3.

coacta Constantinopoli, per Imp. Constantinum Pogonatum, hortante illum Agathone Pont; fuit œcumenica; interfuere Episcopi 289. secundum annales Græcorum, tam apud Cedrenum, quam apud Theophanem. Photius in libello de Synodis, numerat 170. Paul. Diaconus de gestis Longob. lib. 6, cap. 4. centum quinquaginta Theodorus Balsamo 171. In ultima verò actione eiusdē Synodi numeratur subscriptiones Episcoporum, cum legatis presbyteris, & diaconis 166. verum in ipso Synodi exordio longe minor numerus habetur; quod Episcopi omnes tam brevi temporis spatio pervenire Constantinopolim haud potuerint. Fuit celebrata in secretario sacri Palatii, quod cognominatum est Trullus. Trullus autem, sive Trulla fœminino genere, præter instrumentum cœmentarium, significat etiam quod Itali dicunt *cuppulla*, fuit autem locus Synodi Palatii secretarius, quod eiusmodi Trullo, sive Trulla fastigiatum, testudine sursum erecta, sui rotunditate conficiens emisphærium, ab ipso ædificij genere nominatum est. Quæ desiderentur in sextæ Synodi actionibus iam editis, vide Baron. tom. 8. annal. annua Christi 680. nu. 40. & sequentibus. Possevin. in apparatu sacro, tom. 3. verbo, *Sexta Synodus*, fol. 213.

Sextæ autem Synodi acta quomodo corripuit Theodorus Patriarcha Constantinopolitanus, vide ibidem Baron. 4. tom. 8. anno 681. nu. 19. usq; ad nu. 25. Item sextæ Synodi actiones mutilatas, vide ibidem nu. 2. & cur hæc sexta Synodus ab Hispanis dicta sit quinta, vide anno 684. nu. 6. Tandem de sextæ Synodi appendice, & eiusdem Synodi dicta erratica, & damnata à Romanis Pontificibus, vide ibidem anno Christi 692. per totum, & vide posita in cap. Sexta, infra hæc eadem dist. nu. 1.

Ad textum. Hunc textum citat Canus de locis theolog. lib. 2. cap. 9. vers. Tertia conclusio, ad hoc quod hæreticum est epistolam ad Hebræos inter canonicas non reponere, & vide eundem lib. 1. cap. vlt. vers. Alterum argumentum, ubi de hæc sexta Synodo non bene sentit, quem videtur improbare Henriques in summa de Sacramentis, lib. 2. cap. 28. §. 2. littera R.

In vers. Placuit, ibi, Canonum Apostolorum. 85. De his vide quod late diximus ad cap. 1. nu. 2. & 3. & ad cap. Sexaginta, nu. 2. & ad cap. Clementis, nu. 3. & ad cap. Placuit, nu. 2. & 3. & ad cap. Sextam, nu. 1. supra, hæc eadem distinctio.

In vers. Confirmamus, ibi, Ni-cœnam. Vide posita ad cap. Canones, à nu. 2. usq; ad nu. 16. supra dist. 15.

6 Ibi, Ancyranam. Ancyrana Synodus fuit coacta anno Domini 314. à Vitali Episcopo Antiocheno, Ancyrae, quae civitas opportuno in loco erat sita, ad quam facilius convenire possent, tanquam ad centrum minoris Asiae Episcopi Cappadoces, Pontici, Armeni, Cilices, & Syri, interfuerunt duodeviginti insignes Episcopi. Extant 24. Canones ipsius, ijdemque è Graeco conversi triplici editione, quarum primam à Dionysio exiguo translata habet Cresconiana Collectio. Secunda est incerti authoris; Tertia Gētiani Herueti. Ex ea verò, quae Dionysij exigui est, *Baron. Card. in tertio annual. tomo.* Canones illos inseruit, de quibus his, quae solet diligentia, & iudicio differuit, vide sub *annum 314. nu. 75. & seqq.* Qui & alterius Ancyrani Concilij anno 357. celebrati Ancyrae Galatae civitatis, adversus Arianos, & Semiarianos meminit ex *Hilario de Synodis*, ubi agit de Sermiensi, & ex *Epiphania haeresi 73.* vide etiam *Possevin. in apparatu sacro, tom. 3. verbo, Ancyranum, fol. 81.*

7 Ibi, Neocæsariensem. Post Ancyranum, Neocæsariense Concilium celebratum est; quoto tamen anno nescitur, sed quantum conjectura assequi licet, cum ijdem prope omnes Episcopi, qui interfuerunt Concilio Ancyrano, subscripti pariter habeantur illi, quod Neocæsarea celebratum est, & inter alios Basilus Episcopus Amasiae, qui in persecutione Licinij martyr occubuit, non multum interfuit inter utrumque. Canones autem Neocæsariensis Concilij, vide per *Baron. tom. 3. annual. anno Christi 314. nu. 90. & 91.* Fuit Neocæsariensis Ecclesia in Ponto florentissima, usque ad Basilij tempora, cuius patria erat. Vide eundem *Baron. anno 343. nu. 18. & 19.* & ibi quomodo Neocæsarea subversa est terræmotu, excepta Ecclesia, ac Episcopo, cæterisque, qui ibidem reperti sunt. Vide etiam *Azor. tom. 2. lib. 5. cap. 19. §. Secunda.*

8 Ibi, Gangrensem. Gangrense Concilium Gangris, oppido Paphlagoniae non ita multo post Nicenam Synodum celebratum est; quo Concilio David Chytræus, & alij haeretici adversus cælibatum Sacerdotum scribentes, abusi sunt, se id hos satis refutat *Possevin. in apparatu sacro, tom. 1. verbo, Gangrense Concilium, fol. 525.* qui latissime de illo agit. Fuit Concilium celebratum, secundum eundem, anno Domini 350. Vide posita infra in *cap. Prima, vers. Tertio, nu. 4. hac eadem dist. & in cap. Siquis discernit. nu. 1. infra dist. 28.*

9 Ibi, Antiochenam. Antiochena Synodus coacta ab Orientalibus, anno Domini 255. adversus schisma Donatiani, ad quam è Cappadocia,

Asia, Syria, Aegypto fuere vocati Episcopi. Vide *Dionysium Alexandrinum in epistola. de poenitentia, ad eos, qui erant in Aegypto.* Rursus Antiochenae duae, contra Paulum Samosatenum. Prior anno Domini 265. posterior anno 272. Vide *Eusebium lib. 6. cap. 23. & 24. & Baron. Cardin. tom. 2. Possevin. in apparatu sacro, tom. 1. verbo, Antiochenam, fol. 97. Baron. tom. 2. annual. anno Christi 265. nu. 10.*

Ibi, Laodicensem. Laodicense Concilium apud Laodicam Phrigiae Pacatiana, ex diversis regionibus Asiae, celebratum est; non autem apud Laodicam Syriae, ut nonnulli putarunt. Celebratum fuit non solum ante Theodoretum, verum etiam ante Basilium; quin & ante Concilium Nicenum, ut gravibus rationibus comprobatur *Baron. in appendice ad 4. tom. annual. & vide posita ad cap. Prima, vers. Sexto, infra, hac eadem distinct.*

Ibi, Constantinopolitanam. De qua vide posita ad *cap. Primum, nu. 7. & seqq. supra dist. 15.*

Ibi, Ephesinam primam. De qua vide posita ad *cap. Primum, nu. 21. & sequentibus, supra dist. 15.*

Ibi, Chalcedonensem. De qua vide posita ad *cap. Primum, nu. 29. & sequentibus, supra dist. 15.*

Ibi, Sardicensem. Sardicense Concilium anno 351. tempore Iulij primi, & Constantij Imperatoris, fuit generale, & semper in Ecclesia receptum, & fuerit in eo plusquam 300. Episcopi Catholici, ex 36. provinciis totius orbis Christiani, quas omnes Athanasius nominat; cum autem dicitur plusquam trecentos Episcopos interfuisse catholicos, sciendum est fuisse quidem 376. omnes, ac septuaginta fuisse Orientales, quorum plerique omnes adversus Athanasium Arianæ haeresi fauerunt, ac subscripserunt; Episcopi verò Occidentales fidem catholicam confirmarunt, quam exponit *Hilarius in lib. de Synodis.* Vide *Socratem lib. 2. cap. 10. Sozom. lib. 3. hist. cap. 10. & 11. Theodoretum lib. 2. cap. 7. & 8. At Divus Augustin. dum ait, lib. 3. contra Cresconium, cap. 34. Disce quod nescis, Sardicense Concilium Arianorum fuit; est intelligendus de Episcopis Orientalibus septuaginta, qui fidem catholicam, & Athanasium damnaverunt. Porro in Sardicense Concilium aliqui Canones Concilij Niceni translati sunt, proinde Canones Sardicenses Nicenos appellare solebant veteres, tradit *Possevin. in apparatu sacro, tom. 3. verbo, Sardicense, fol. 196. Bellarmin. lib. 1. de Concil. cap. 7. in principio, ubi hoc Concilium Sardicense appellat**

appellat partim confirmatum, partim reprobatum, late *Baron. 3. tom. annal. anno Christi 347.* P totum, cum quibus prosequere. Sardica civitas est Thraciæ, ut per eundem *nu. 2.*

- 15 **Ibi, Carthaginienfem.** Carthaginienfis Synodus dicta prima, perperam ponitur tempore Sylvestri, vel Marci Papæ. Mendose item legitur in eiusdem Synodi præfatione, Constantinus, loco Constantis Imperatoris. Fuit celebrata tempore Pontificis Iulij, anno Christi 348. occasione legationis à Constante Imperatore in Africam missæ per Paulum, & Macarium clarissimos viros, ad uniendos divisos schismate Donatistas, Ecclesiæ catholicæ; sunt hæc illa tempora dicta Macariana, sic denominata ab altero legatorum Macario, quorum frequens fit mentio, tum apud Optatum Milivitanum, & Sanctum Augustinum, tum etiam apud ipsos Donatistas. Vide *Baron. tom. 3. annal. anno 348. nu. 16.* Caterum quod hæc dicatur prima Synodus, non ita accipiendum est, ut nulla alia hanc ipsam præcesserit, sed ideo prima dicta, quod alia perierunt, & aliarum, quæ extarent, hæc antiquissima probetur. Vide *Baron. ubi supra, nu. 42.*

- 16 **Ibi, Opuscula Theophili.** De quibus vide posita ad *cap. Sancta, nu. 11. distinct. 15.*

- 17 **Ibi, Dionysij Alexandrini Episcopi.** Dionysius Alexandrinæ urbis Episcopus, sub Heracla scholam presbyter tenuit, & Origenis valde insignis auditor fuit. Hic in Cypriani, & Africanæ Synodi dogma consentiens, de hæreticis rebaptizandis, ad diversos plurimas misit epistolas, quæ usque hodie extant. Cum verò accusatus fuisset apud Romanum Pontificem Dionysius, quod Filium Dei creaturam dixisset, scripsit Apologiam, ex qua citat quædam *Basilus lib. de Spiritu Sancto, cap. 29.* & Athanasius pulchra de eodem Dionysio Alexandrino in epistola de ipsius sententia, quæ erat omnino catholica. Multa ipse Dionysius scripsit de quibus vide late *Possevin. in apparatu sacro, tom. 1. verbo, Dionysius Alexandrinus, fol. 401* moritur 12. Galieni anno.

- 18 **Ibi, Petri Alexandrini Episcopi, & martyris.** Petrus Alexandrinus in Ægypto Archiepiscopus, vir sanctus, & martyr, qui ut Nicephorus habet in ecclesiastica historia Teonæ, qui cum Archiepiscopatum undeviginti annos rexerat, successit; qui à Maximo Imperatore ob catholicæ fidei defensionem capite plexus, fuit martyrio coronatus; Canones eos edidisse scribitur, qui feruntur in sermone de pœnitentia, quos *Margarinus sive Patrum Bibliotheca tom. 2.*

inferuit, quibus cum Balsamon Græci ritus sectator, adiecerit scholia, hæc circumspectu legenda sunt. Caterum lectores meminerint, acta Petri Alexandrini, hoc eius nomine edita fuisse corrupta; & quidem Arium à Petro Alexandrino fuisse excommunicatum ob schisma Meletij, vide *Breviarium Romanum die 26. Novemb.* Germana autem esse acta, quæ ab Anastasio S. R. E. bibliothecario Latine, e Græco reddita fuerunt, certum est. Vide *Possevin. tom. 3. in apparatu, verbo, Petrus Alexandrinus.*

- Gregorij Thaumaturgi.** Gregorius 19

Neocæsariæ Ponti Episcopus, sanctitate, doctrinæq; illustris, signis verò, ac miraculis multo illustrior, quorū multitudine, atq; præstantia Thaumaturgus appellatus est, & Sancti Basilij testimonio cum Moyse, Prophetis, & Apostolis comparatus; montem, qui Ecclesiæ ædificationem impediabat, oratione aliud transfudit; sapissime Demones ex Idolorum simulacris, atq; ex hominum corporibus eiecit, multaq; alia mirabiliter effecit, quibus innumerabiles homines traxit ad Iesu Christi fidem, cum etiam prophético spiritu futura prædiceret, qui migraturus è vita, cum quaesisset quot in civitate Neocæsariensi reliqui essent infideles, responsūq; esset, tantum esse septendecim, Deo gratias agens, *totidem, inquit, erant fideles, cum cepi episcopatum.* Plura scripsit, quibus Dei Ecclesiam illustravit. At ab Eutyehianis hæreticis fuit liber Gregorij Thaumaturgi depravatus, ut post *Erasmium, advertit Baron. tom. 2. annal. anno Christi 266. nu. 22.* multa de eodem Gregorio, vide in ipso *tom. anno Christi 233, & ad Martyrologij notas die 27. Novembris, eius opera prodierunt Græcè, & Latine, interprete, & scholiaste Doctore Gerardo Vosio, anno 1604.*

- Ibi, Athanasij Episcopi.** De quo 20 vide posita ad *cap. Sancta, nu. 8. supra dist. 15.*

- Ibi, Basilij.** De quo vide posita ad *cap. 21 Sancta, num. 8. supra distinctione 15.*

- Ibi, Gregorij Nysseni.** Gregorius Nyssenus Episcopus Magni Basilij frater; is fuit quem perperam Emissenum Honorius in Cathalogo, & Tritemius vocarunt; antiquitas verò ita suspexit, ut sequentibus sæculis theologi tam Græci, quam Latini, ad confirmanda Orthodoxa dogmata, testem certissimum adhibuerint, quippe qui in ijs, quæ ad fidem pertinent, nulla in re à Basilio, ut inquit, etiam Cardin. Bellarm., dissenserit, licet nonnulla, qui eo tempore nondum ita declaraverat Ecclesia, scripserit. Sane quod is ipse Nyssenus actus sit in exiliū ab Arianis, sub Valente Imp. quodam, hoc demortuo, destinatus

fit ab Anthiochena Synodo ad instaurandas Orientales Ecclesias, & à Synodo œcumenica Constantinopolitana sub Theodosio habita, ad visitandas Ecclesias Arabiæ. Dignus autem fuerit, ut inter præcipuos catholicæ fidei propugnatores, sanctione etiam imperiali laudaretur. Eius opera extant in Parisiensi editione Sebastiani Nivellij anno 1573. postea nonnulla, quæ deerant Iacobus Gretlerus Societati Iesu theologus, & Græcè, & Latine abs se facta, emisit in publicum, ex typographia Adami Sartorij anno 1600. Tandem recusa sunt rursus eiusdem opera omnia, notis Frontonis Ducæi Societatis Iesu illustrata, Parisijs apud Michaelem Somnium anno 1605. Vide latè *Possevin. in apparatu sacro, tom. 1. verbo, Gregorius Nyfenus, fol. 584. usq. ad 592. latius Baron. tom. 4. annal. anno Christi 369. nu. 64. & seqq. & anno 370. nu. 17. & seqq. & anno 378. nu. 44.*

23 Ibi, Gregorij theologi. Hic est ille Nazianzenus cognomento theologus, ut dicit *Possevin. d. tom. 1. fol. 572. de quo vide posita ad cap. Sancta, nu. 7. supra dist. 15.*

24 Ibi, Amphilochoij Iconiensis. Amphilochoius Iconij Episcopus Basilio, Gregorio Nazianzeno, Gregorio Nyfeno, Hieronymo cognitus, atque probatus, quin, & subscriptor testamenti Gregorij Nazianzeni, uti etiam à Theodosio Imperatore laudatus edicto, commendatur à Hieronymo tum epist. 84. ad Magnum, tum in Cathalogo ecclesiasticorum scriptorum; multa scripsit in suis Dialogis Poymorphi, & ex ipso citat eum *Tritemius*, aitq. vixisse anno 590. Sed error est in numero, scribendum enim est anno trecentesimo nonagesimo. Eius opera Græcè, & Latine edita sunt Antwerpia, apud Ioachinum Trognasium anno 1598. Vide *Possevin. in apparatu sacro, 1. tom. verbo, Amphilochoius, fol. 77. Baron. tom. 4. annal. anno Christi 381. nu. 74. & anno 385. nu. 30. & 383. nu. 36. & 394. nu. 29. & alijs in locis.*

25 Ibi, Timothei Alexandrini. Timotheus Alexandrinus Episcopus, è centum quinquaginta Patribus, qui Constantinopoli convenerunt, responsa edidit canonica, in quem Balsamo scholia scripsit, sed tum hæc, tum reliqua Balsamonis, uti et eiusdem Timothei, examinanda sunt ad lancem catholicæ Ecclesiæ Romanæ. De illo multa habes apud *Ruffinum ecclesiasticæ historiæ primo libro, cap. 17. & lib. 2. cap. 21. Socratem lib. 5. cap. 8. & 12. Sozomen. lib. 6. cap. 29. & lib. 7. cap. 7. & 9. vivebat anno 385. tempore Valent. & Theodosij. Adde Possevin. in apparatu sacro, tom. 3. verbo, Thimotheus*

Alexand. fol. 319. Baron. tom. 4. annal. anno Christi 380. nu. 16. & 385. nu. 30.

Ibi, Gennadius Constantino-
politanus. 26

Gennadius Episcopus, five Patriarcha Constantinopolitanus, vir (ut inquit *Gennadius Massiliensis*) lingua nitidus, & ingenio acer, tam dives ex lectione antiquorum fuit, ut Danielem Prophetam ex integro ad verbum commentatus exponeret. Homilias etiam multas composuit. Moritur Leone Seniore Imperatore. Eius autem miracula, & virtutes prosequitur *Nicephorus Ecclesiæ historiæ, lib. 15. cap. 22. & 23. vivebat anno 460. licet aliter tradat Possevin. in apparatu sacro, tom. 1. verbo, Gennadius Episcopus, fol. 534. Tu vide Baron. tom. 6. annal. anno Domini 458. nu. 32. & anno 459. nu. 3. 10. 15. de eius morte agit anno 471. nu. 1.*

Ibi, Cyrilli Alexandrini. De quo vide posita ad cap. Sancta, nu. 12. supra dist. 15. 27

Ibi, Cypriani Carthaginien-
sis. 28

De quo vide posita ad cap. Sancta, num. 5. supra dist. 15.

Ibi, Et Synodum suam. In qua ipse Cy- 29

prianus cum multis alijs Africanis Episcopis, putabat baptizatos ab hæreticis, verum baptisma non recipisse; cuius contrarium Beatus Augustinus veraciter assererat; & ipsam Cypriani sententiam totius orbis consilio exclusam fuisse testatur, de quo vide latè *Baron. tom. 2. annal. anno Christi 258. nu. 12. & sequentibus, usq. ad num. 43.*

C A P. Sancta octo. VIII.

S Y M M A R I U M.

- 1 Primum Nicænum Concilium quale?
- 2 Secundum Concilium Constantinopolitanum.
- 3 Tertium Ephesinum.
- 4 Quartum Chalcedonense.
- 5 Quintum Constantinopolitanum.
- 6 Sextum Constantinopolitanum.
- 7 Septimum Nicænum.
- 8 Octavum Constantinopolitanum.
- 9 Sensus Conciliorum non debet interpretari.

Ibi, Primum Nicænum. De quo vide posita ad cap. Canones, à num. 2. usq. ad num. 16. supra dist. 15.

Ibi,

2 Ibi, Secundum Constantino-
politanum. De quo vide posita ad cap. 1.
nu. 7. & seqq. supra dist. 15.

3 Ibi, Tertium Ephesinum. De
quo
vide posita ad cap. 1. nu. 21. & sequentibus, su-
pra dist. 15.

4 Ibi, Quartum Chalcedonense.
De quo vide posita ad cap. 1. nu. 29. & sequen-
tibus, supra dist. 15.

5 Ibi, Item quintum Constanti-
nopolitanum. Constantinopolitanū Cō-
cilium, quod verè quin-
tum fuit, celebratum est Vigilio Summo Pon-
tifici, & Iustiniano Seniore Imp. anno 12. post
consulatum Basilij, qui fuit annus à Domini In-
carnatione 553. convenerunt Episcopi 156. e
quibus erant Patriarchæ Eutychius Constanti-
nopolitanus, Apollinaris Alexandrinus, Domi-
nus Antiochenus, Eustochius Hierosolymita-
nus, qui non per se, sed per legatos interfuit;
Summus autem Pontifex, nec per se, nec per le-
gatos, Synodum tamen per libellam confirma-
vit, ut Nicephorus scribit lib. 17. cap. 27. Causa cō-
gregatæ Synodi fuit Origenis hæresis, quæ tunc
invalescebat, & simul Didymus, & Evagrius,
eius sectatores, nec non Theodori Mopsuestini,
& Theodoretii Cyrensis scripta, & epistola, quæ
dicebatur, Iba ad Martinū Persam. Vide Ioan. Zo-
naram in vita Iustiniani: Nicephorum lib. 17. cap. 27.
Sanctum Gregorium lib. 1. epist. 24. Evagrius lib. 4.
cap. 38. At quintæ Synodi acta depravata esse ab
Origenistis, sive à Monothelitis, inquit Baron.
Cardin. tom. 7. sub anno Domini 553. Vigiliij autem
14. Vide latè Azor. in summ. moral. p. 2. lib. 5. cap.
16. vers. Quintum generale.

6 Ibi, Et sextum. Constantinopolitanū
tertium Concilium,
quod sextum fuit, celebratū est anno 12. Con-
stantini 4. teste Paulo Diacono in vita ipsius, qui
quidem erat annus Domini 681. & Concilium
quidem numerat annos Constātis à prima co-
ronatione, Paulus verò Diaconus à morte Con-
stantini patris Constantini. Convenerunt epif-
copi 289. licet alij dicant 550. Patriarchæ fue-
runt duo, Georgius Constantinopolitanus, &
Macharius Antiochenus. Nam reliqui Alexā-
drini, & Hierosolymitani per legatos egerunt,
nti & Agatho Pontifex per legatos suos inter-
fuit, ac præfuit. In ea Synodo damnata fuit hæ-
resis volentium unam tantum in Christo vo-
luntatem. Vide de hoc Concilio Albertum
Pighium in Diatriba, qui Synodum 6. & 8. ut mo-
dò extant, supposititias putat. At Franciscus
Turrianus veras, & germanas esse asserit. Card.
autem Bellarm. agit latè de ijs lib. 4. de Summo Pon-

tifice, cap. 11. Azorius in summ. moral. p. 2. lib. 5. cap.
16. vers. Sextum Concilium, qui latissime de eo
agit; & adde posita ad cap. Prima autem, ubi 7. hab.
eadem dist.

Ibi, Item Nicænum septimū. 7
Nicænum Concilium secundum, quod fuit sep-
timum è primis generalibus, coactum est an-
no octavo Constantini, & Irenæ, tradunt Paul.
Diac. lib. 23. rerum Romanorum, & Cerdenus in com-
pendio historiæ. Fuit is annus 781. si Paulo Dia-
cono credimus, 786. si Cerdeno, 789. Si Onu-
frio. Psellus autem, vel vitiatum à librarijs, vel
deceptus, sexaginta duntaxat annos ponit, in-
ter 6. & 7. Concilium. Convenerunt episcopi
350. e quibus Patriarcha unus fuit Tharadius
Constantinopolitanus; cæterorum autem lega-
ti. Adrianus Papa per legatos suos præfuit, ac
una cum Concilio eos damnavit Iconomachos
hæreticos, qui sacras Christi, & Sanctorum
imagines omni honore spoliabant. Vide Azorium
in summa moral. p. 2. cap. 16. vers. Septimum gene-
rale, & Suarium in defensione fidei, lib. 2. cap. 11. ubi
id apertissimis, & doctissimis probat testimo-
nijs. Docet verò idem auctor Iconomachos
audaci quadam temeritate, imò fatua hærescos
tenacitate, omnem sacrarum imaginum cul-
tum, ac venerationem de medio auferre cona-
tos. Cuius monstrosi, & execrandi erroris au-
ctor fuit quidam Xenias Persa, qui cum esset
servus, & nondum baptisatus, Episcopus à Pe-
tro Gnaseo creatus est, ut refert Nicephorus lib.
16. hist. cap. 28. ubi hæc præclara verba subjun-
git. Primus (ò audacem animum, & os impudens) vo-
cem illam evomuit; Christi, & eorum, qui illi placue-
runt, imagines venerandas non esse. Et quidem illo-
rum est impudentia detestanda, qui in tantum
scellus prorupere, ut erudite probat Bellarm. tom.
1. de controversijs, in præfat. de Ecclesia triumphante.
& lib. 2. de imaginibus Sanctorum, cap. 12. euentum
refert, & dictu, & memoratu dignum, quem
ex Paulo Diacono lib. 21. ver. Roman. sic memorat
conceptis verbis. Cum Iconomachus quidam conspe-
cta statua B. Virginis, lapides in eam jecisset, eamq; cō-
minuisset, per quietem Virginem ipsam ab eo visam, ter-
ribiliter bis verbis comminantem, In caput tuum hoc fe-
cisti. Deinde paulò post eundem ingenti lapide percus-
sum, atque ita contritum esse, ut ipse statuam commi-
nuerat. Si verò quæras, quare Deus in veteri te-
stamento nullas imagines, vel sculpalia passus
fuerit, in novo tamen testamento id patiatum?
Responsum vide apud Abulens. q. 39. in cap. Exodi.
ad quem lectores remitto.

Ibi, Octavum quoque Constā- 8
tinopolitanum. Constantinopolitanum
quartū, quod fuit octa-
vum Concilium, celebratum est Adriano 2. sū-
mo Pontifice, & Basilij Augusti anno 3. qui
fuit

fuit annus 870. convenere Episcopi 383. è quibus unus Patriarcha Photius, ac deinde Ignatius Constantinopolitanus. Cateri per legatos. Hoc autem Concilium extat imperfectum in tomis Conciliorum, in quo (deposito Photio) iterum restitutus est Ignatius; huius autem Concilij meminit Zonar. in vita Basilij Imperatoris. Ex hoc itidem tempore, Photij suafu, & opera Græci ceperunt manifeste contra Primatum Romani Pontificis sentire, & docere. Ceperunt quoque Latinos odio capitali insequi, & tanquam anathemate percussos devitare, eo quod addidissent Symbolo Nicæno, & Constantinopolitano (*Filioq; procedit*) quare palam Græci sese à Romanis, & Latinis diviserunt. Unde amplius non sunt celebrata Concilia generalia in Oriente: Vide Possevin. in apparatu sacro, tom. 1. verbo, Constantinopolitana 4. fol. 352. Azorium in summa moral. tom. 2. lib. 4. cap. 16. vers. Octavum generale.

9 Ibi, Immutata servare. Ergo non debet mutari, nec interpretari sensus Conciliorum, de quo vide Bullam Pij 4. super confirmatione Concilij Trid. post med. ubi ipso jure excommunicat illos, qui sine autoritate Pontificia ausi fuerint commentarios, glossas, annotationes, scholia, ullum omnino interpretationis genus, super ipsius Concilij decretis quocumq; modo edere; per hoc tamen non prohibetur juris interpretatio, ut post alios tradit Menoch. de adipiscend. remed. 4. nu. 225. Suar. de censuris, disp. 23. sect. 7. nu. 12.

C A P. Sexta Synodus. IX.

S V M M A R I U M.

- 1 Qui Canones adscribantur sexta Synodo Constantinopolitana?
- 2 Concilium Nicænum.
- 3 Arius execrabilis homo fuit, & de eius erroribus.
- 4 Synodus Constantinopolitana.
- 5 Synodus Ephesina.
- 6 Synodus Chalcedonensis.
- 7 Synodus quinta Constantinopolitana.

1 C Onstantinopolitanae sextae Synodo, qui Canones adscribuntur præcipue 13. & 53. falso adscripti sunt, cum postea editi fuerint à nova quadam Synodo, quam Romani Pontifices reprobarunt. Vide Franciscum Turrianum lib. de sexta Synodo: Melchiorem Canonum de locis communibus, cap. Vlt. in solutione sexti argumenti. Sophronij autem Hierosolymitani epi-

stola, quæ in undecima sextæ Synodi actione, quamve hæretici corruerunt, inscripta est ad Sergium Constantinopolitanum episcopum, ducem Monothelitarum, falso ita inscripta est. Nam revera scripta fuit Honorio Pontif. Max. vere Catholico, quicquid aliter mentiti fuerint hæretici. Eidem item Synodo tributus Canon trigessimus sextus, qui habet episcopum Constantinopolitanum æquare Romanum Pontificem, non est veræ, legitimæ, atq; æcumenicæ Synodi, sed alterius cuiusdam cœventiculi, quod sese falso sextam Synodum appellavit. Constat enim Synodum sextam, Agathone Pontif. Maximo, & Constantino Quarto Imperatore celebratam, nullos profus Canones edidisse; sed quinquennio post cœvenisse iterum aliquot juniores Episcopos, authore Juniore Iustiniano, ac plures, nomine Synodi sextæ edidisse. Vide quæ supra diximus ad cap. Quoniam, nu. 1. & 2. hac eadem dist. & quæ tradit Possevin. in apparatu sacro, verbo, Constantinopolitana sexta, fol. 553. & verbo, Franciscus Turrianus, fol. 509. Adde Azor. in summa moral. p. 2. lib. 5. cap. 16. vers. Sextum Concilium.

Ibi, In Nicæa. De hoc Concilio Nicæno vide, quæ notavimus in cap. Canones, à nu. 2. usq; ad nu. 16. supra dist. 15. Adde Azor. in summa moral. p. 2. lib. 5. cap. 16. in principio. Baron. 3. tom. annal. anno Christi 325. nu. 6. qui Covar. & alios reprobat.

Ibi, Contra Arium. Fuit scelestus iste, & execrabilis Arius, blasphemus mille modis in Christum, qui ipsum Deum abnegans, multas procellas in Ecclesia catholica, & turbulencias cœcitavit, cum venenato corde fidei christianæ confessionem simularet, ambiens in amicitiam Principis, & in gradum presbyteri, unde merito pulsus fuerat, revocari; & cum à sectatoribus magna celebritate, & pompa per mediam urbem Constantinopolim deduceretur, & perurgeretur alui necessitate, divertit à via, & ad publicas latrinas in foro Constantini sitas concessit, & subito cum ex crementis viscera omnia eiecit. Hoc proboso exitu, & ignominiosa morte impietatis suæ pœnas exolvit, & ad similitudinem Iudæ proditoris, crepuit medius, & diffusa sunt omnia viscera eius: mortem certe perpeffus vita eius turpissima condignam, ne sub tegumento ovis lupus devoraturus gregem dominicum denuò introiret; cuius decessus infamis in obscænis, & impuris locis, ingentem terrorem Arianis incussit. Catholicis autem firmitus Christianæ religioni adhærendi exemplum fuit; contigit mors istius anno Christi 336. Constantini Imperatoris 31. caput serere impia dogmata sua anno 322. Sylvestri Papæ 4. Constantini Imperatoris 17. damnatus à 318. Patribus in Synodo Nicæna anno 325. Sylvestri Pontificis

ficis 12. Constantini Imp. 20. Huius rei progres-
sum, & exitum narrant Ruffin. lib. 1. cap. 23. Am-
brosius de fide ad Gratianum lib. 1. cap. 9. Socrates lib.
1. cap. 25. Alphonsus Chacon de gestis Pontificum, in vi-
ta Marci Papa fol. 90. Baron. 3. tom. anal. anno Do-
mini 336. nu. 45. & seqq. & vide posita supra ad
cap. Canones, dist. 15. nu. 7. & 8.

4 Ibi, In Constantinopoli. Vide quæ
diximus ad cap. Canones, dist. 15. nu. 7. & seqq. Adde Azor-
rium tom. 2. lib. 5. cap. 16. vers. Secundum Conci-
lium.

5 Ibi, In Epheso. Vide quæ diximus ad
cap. Canones, nu. 21. & seqq. supra dist. 15. Adde Azor. tom. 2. lib. 5. cap.
16. vers. Tertium Concilium.

6 Ibi, In Chalcedone. Vide quæ di-
ximus ad cap. Canones, nu. 29. & seqq. supra dist. 15. Adde Azor-
rium in summa, tom. 2. lib. 5. cap. 16. vers. Quartum
Concilium.

7 Ibi, Quinta item. Vide quæ dixi-
mus ad cap. Sancta, nu. 5. supra hac eadem dist. Adde Franciscum
Gratianum in Compendio juris, p. 1. dist. 1. nu. 50.

C A P. Prima autem. X.

S Y M M A R I V M.

- 1 Heretici hic numerati.
- 2 Prima Synodus Nicæna.
- 3 Secunda Synodus Constantinopolitana.
- 4 Tertia Ephesina.
- 5 Quarta Chalcedonensis.
- 6 Quinta Constantinopolitana.
- 7 Sexta Constantinopolitana.
- 8 Papa Agatho quis fuerit?

1 **D**E omnibus hæreticis hic numeratis agit
Covar. lib. 4. var. cap. 15. Adde Baron. 3. tom.
anal. anno 325. à nu. 1. & 4. tom. anno 381. à nu.
17. & tom. 5. anno 430. à nu. 5. & anno 451. & 6.
tom. anno 553. & prosequere cum Bellarm. lib. 1.
de Concilijs cap. 5.

2 Ibi, Prima autem Synodus in
Nicæa. Vide posita ad cap. Canones, à nu. 2.
usq; ad 16. supra dist. 15 & ad cap. 6.
nu. 2. hac eadem dist.

3 Ibi, Secunda in Constanti-
nopoli. Vide posita ad cap. Canones, nu. 7. &
seqq. supra dist. 15 & ad cap. Sexta,
nu. 4. hac eadem dist.

Ibi, Tertia in Epheso. Vide posita
ad cap. Ca-
nones, nu. 21. & seqq. supra dist. 15. & ad cap.
Sexta. nu. 5. hac eadem dist.

Ibi, Quarta in Chalcedone. 5
Vide posita ad cap. Canones, nu. 29. & seqq. supra
dist. 15. & ad cap. Sexta, nu. 6. hac eadem dist.

Ibi, Quinta in Constantino- 6
poli. Vide posita ad cap. Sancta, nu. 5. & ad cap.
Sexta nu. 7. supra hac eadem dist.

Ibi, Sexta in Constantinopoli. 7
Vide posita ad cap. Sancta, nu. 6. hac eadem dist.
Sed ibi dicimus convenisse 289. Episcopos, quæ
etiam lectionem observat Bellarm. de Concilijs lib.
1. cap. 5. §. Sexta Synodus hic tamen Gratianus
solum 150. Episcopos, seu Patres enumerat, quæ
etiam lectionem observarunt Beda in lib. de Sex
atibus prope finem Adde Viennensem, & Treculphum
in Chronico.

Ibi, Agathonis Papæ. Qui fuit no- 8
mine tertius
ut tradit Azorius in summa. tom. 2. lib. 5. cap. 16. vers.
Sextum Concilium in principio.

C A P. Prima adnotatio. XI.

S Y M M A R I V M.

- 1 Agitur de Canonibus nostro textu con-
tentis.
- 2 Synodus Ancyraua quando celebrata.
- 3 Secunda Synodus Neocæsariensis.
- 4 Tertia Synodus Gangrensis.
- 5 Quarta Synodus Sardicensis.
- 6 Osus Cordubensis an ei præfuerit?
- 7 Quinta Synodus Antiochena.
- 8 Sexta Synodus Laodicensis.
- 9 Septima Carthagenensis.
- 10 Octava Africana.
- 11 Nona Arelatensis.
- 12 Canones eius quot fuerit?
- 13 Marinus Episcopus scripsit Sylvestro.
- 14 Decima Synodus Arelatensis.
- 15 Undecima Synodus Arelatensis.
- 16 Duodecima Synodus Arelatensis.
- 17 Decima tertia Synodus Arelatensis.
- 18 Decima quarta Synodus Arausicensis.

Collige ex textu Canones Ancyranos, 1
Neocæsarienses, Gangrenses, Sardicensis,
Africanos, & Carthaginenses authoritatem habe-
re, de quo videbis posita ad cap. De libellis, 20. dist.

Item Canones Antiochenſes, et Laodiceſes confirmantur in Sexta Synodo Trullo confirmata. Item Milevitana Synodus confirmata eſt auctoritate Innocentij: Araulicana I. auctoritate Leonis II. Arelatenſis Synodus prima, ſecunda, & tertia communi uſu receptæ ſunt, ut etiam Aurelianenſis, cap. 2. 3. 4. & 5. ſic etiam Aluernenſis Synodus; in ſuper Bracharēſes Synodi cap. 2. & 3. Præterea Maticenſis I. & II. Tandem Lugdunenſis I. & II. vide *Azorium inſtit. moral. p. 2. lib. 5. cap. 19. ad fin. verſ. Ex his conſtat.*

2 In principio textus Ancyrana.

Celebrata fuit hæc Synodus, quanuis id Gratianus non dicat, anno Domini 316. ut ait Onuphrius in *Chronico*, & poſt illum tradit *Azorius* ubi ſupra, verſ. *Prima annotatio*, quanuis fuiſſe celebratam anno 308. tradat *Franciſcus Gratianus* in *compendio iuris Canonici p. 1. diſt. 3. nu. 55. in principio.*

3 In Verſ. Secunda Neocæſarienſis.

Quæ poſt Ancyranam legitur fuiſſe; peracta eſt hæc Synodus paucis annis poſt Ancyranam, vel eodem anno, quo Ancyrana, ut poſt *Onuphrium* in *Chronico*, dicit *Azorius* ubi proximè verſ. *Secunda*. At *Franciſcus Gratianus* ait fuiſſe celebratam anno Domini 311.

4 In verſ. Tertia Gangrenſis.

Quæ dicitur fuiſſe poſt Nicænam. Coacta eſt hæc Synodus teſte *Onuphrio* in *Chronico*, anno Domini 361. ut etiam habet *Azorius d. cap. 19. verſ. Tertia*. ſed *Franciſcus Gratianus* ubi ſupra, nu. 56. firmat fuiſſe celebratam circa annum Domini 324. in Paphlagonia, ſive regione Pelagiōrū ſub Sylveſtro I. Adde poſita ad cap. *Quoniam*, nu. 8. ſupra hæc eadem diſt. & in cap. *Siquis diſcernit*, nu. 1. infra diſt. 28.

5 In verſ. Quarta Sardinienſis.

Quæ fuit ferè generalis, quia ex plurimis provincijs Epifcopi convenerunt; ex Occidente 300. ex Oriente 70. ut aiunt *Socrates lib. 2. cap. 15. Sozomenus lib. 3. cap. 11*. Miſſi ſunt ad Concilium legati à Julio I. Pontifice, in quo Patres ſtatuerunt Canones 21. anno Domini 347. ut refert *Azorius d. cap. 19. verſ. Quarta*. *Franciſcus Gratianus* nu. 57. *Baron. tom. 3. annal. anno Chriſti 347. nu. 3. & ſeqq. cum quo proſequere.*

6 In eodem verſ. Quarta, ibi,

Ofius Cordubēſis. Quidquid dicat Gratianus, Ofium Cordubēſem primarium locum tenuiſſe, certius eſt ex Athanaſio Archidiaconum, atq; Philoxenū legatos Pontificios, eum locum obtinuſſe. Unde etiam emendandus eſt ipſe Gratianus, dum alios legatos enumerat in præſenti, ut tradit

Baron. tom. 3. annal. anno 347. nu. 10. Sanè quis fuerit iſte Ofius, & plura de Sanctitate, & eius ſcientia, tandem de ipſius miſerabili ſine tradit *D. Iſidorus de ſcriptoribus Eccleſiaſt. lib. 1. cap. 1. Baron. d. tom. 3. anno Domini 325. & nu. 13. & 20. & anno 357. nu. 15. 16. & 30.*

In verſ. Quinta Antiochena. 7

In qua Patres triginta, ſtatuerunt Canones 59. quorum author Maximus Eufebius Palæſtinæ Epifcopus fuit; celebrata eſt ano Domini 361. ut poſt *Onuphrium* teſtatur *Azor.* ubi ſupra, verſ. *Quinta*. At *Franciſcus Gratianus d. diſt. 3. num. 60.* ait fuiſſe celebratam temporibus Aureliani Imperatoris, videlicet ab anno Chriſti 272. uſq; ad 277. exiſtente Pontifice Romano Dionyſio primo, & congregatum fuiſſe contra Paulum Samozatenum, negantem Filium Dei deſcendiſſe de cælo. Sed nonnulla de his merito diſplicuerunt *Baron. tom. 3. annal. anno Domini 341. nu. 37.* & ab illo Gratianus reprehenditur, quòd hanc Synodum inter Concilia à catholicis habita, recenſeat, quem videbis circa certitudinem.

In verſ. Sexta Laodiceſis. 8

In qua Patres 32. ſtatuerunt Canones 59. quorum author Theodoſius Epifcopus extitit, anno Domini 364. teſte *Onuphrio* in *Chronico*, quem ſequitur *Azorius*, ubi ſupra, verſ. *Sexta*. *Franciſcus Gratianus d. nu. 60.* poſt principium, qui ait fuiſſe congregatam in fine Liberij Papæ, ſeu in initio Damafi. Contrarium tamen docet *Baron. tom. 4. annal. in Appendice ad fin. ubi dicit, præpoſtero ordine Gratianum hîc agere; quia Synodus Laodiceſis tertio loco erat ponenda, & hîc reperitur ſexto ordine collocata. Adde Poſſevin. in apparatu ſacro. tom. 2. fol. 327. & vide poſita ad cap. *Quoniam*, ſupra hæc eadem diſt. nu. 9.*

In verſ. Septima Carthaginēſis. 9

Fuit hæc Synodus Carthaginenſis ſexta, ut tradit *Azor.* ubi ſupra, verſ. *Octava*; qui contra Gratianum ait, inter fuiſſe Patres 228. ſtatuentes Canones 23. quorum author fuit Aurelius Carthaginenſis Epifcopus, anno Domini 418. in qua Synodo inter fuiſſe legitur Sanctum Auguſtinū Hypponenſem Epifcopum, tempore Honorij Auguſti. At in præſenti Gratianus inquit, fuiſſe Patres 217. ſtatuentes Canones 33.

In verſ. Octava Africana. De ſep- 10

tima Africana (hoc eſt de Carthaginenſi quarta) egit *Azorius* ſupra citato loco, verſ. *Septima*. Fuit enim hæc Synodus celebrata anno Domini 397. ſub Theodoſio minore, in qua Patres 229. recitaverunt, & firmaverunt Canones 105. qui per diverſa Concilia Africana provinciæ, tempore Aurelij Carthaginenſis Epifcopi, leguntur eſſe conf-

conscripti; Gratianus tamen affirmat Patres fuisse 217.

11 In vers. Nona Arelatensis. Celebrata fuit tempore beati Sylvestri Papæ primi, & Constantini Imperatoris, Volusiano, & Aniano Consulibus; ad fuit autem Constantinus, ut omnia absque tumultu agerentur, cum videret Donatistas ad turbas ciendas admodum promptos, quod testatur *Eusebius in vita ipsius, lib. 1. cap. 37. & 38.* refertur hæc Synodus, *tom. 1. Concil. fol. ubi 368.*

12 Ibi, Canones quatuor. Canones fuisse viginti tres contendit *Baron. tom. 3. annual. anno Christi 314.* Sylvestri Papæ I. & Constantini IX. qui omnes Canones ad Sylvestrum missi sunt ab Episcopis, qui in Synodo interfuerunt, scripta ad eum epistola Synodali, qua petierant statuta ab ipsis condita, eius autoritate confirmari; & opinio Baronij firmatur ex actis eisdem Synodi.

13 Ibi, Marinus Episcopus. Epistola quam Marinus Sylvestro misit, sic incipit. *Domino, & sanctissimo Patri Sylvestro Episcopo Marinus, & Cælius Episcoporum, qui adunati fuerunt in oppido Arelatensi; que decrevimus communi Concilio charitati tue significamus, ut omnes sciant, quod in futurum observare debeant; Canones autem Synodi videbis per eundem Baron. supra citato loco, vers. De observatione, fol. 121. in impressione Romana.*

14 In vers. Decima item Arelatensis. De hac Synodo meminit *Azorius 2. tom. lib. 5. cap. 19. vers. Decima, Gratianus in Compendio iuris Canonici p. 1. dist. 3. vers. Decima iterum;* fuit enim celebrata tempore ipsius Sylvestri Papæ I. refertur *1. tom. Concil. fol. 375.* & de sancto Cæsario hic contento agit *Baron. tom. 6. annual. anno Christi 441.* ante fin. Vir enim, fuit qui eximia claritudine tum ex doctrina, tum ex vitæ sanctitate comparata, Gallias illustravit tempore Leonis I. Pontificis, Valentino, & Marciano Imp. scriptæ sunt res gestæ S. Cæsarij ab eius discipulo Cypriano, ad sanctam Cæsariam illius sororem; extant ipsæ quidem apud *Surium 27. Augusti.*

15 In vers. Undecima item Arelatensis. Meminerunt huius Synodi *Azorius & Gratianus* ubi proximè. Fuit autem Arelatensis civitas Galliæ Narbonensis *Plinius, lib. 3. cap. 4.* dicta Roma Gallula, ut tradit *Anzonius Poeta de claris urbibus. Epigram. 7.* Fuit autem antiqua quæstio agitata inter Episcopum Arelatensem, & Viennensem, quod ille prætenderet ius ordinandi Episcopos Viennensis provinciæ spectare ad Episcopum Arelatensem. Iam enim hæc controversia agitata fuerat à tempore Con-

cilij Taurinensis, & ab illo definita; de quo vide latissimè *Baron. tom. 6. annual. anno Christi 445.* Leonis Papæ anno 6. & Theodosij. 38.

16 In vers. Duodecima item Arelatensis, ibi, Author Cæsarius. Fuit celebrata hæc Synodus anno Christi 453. & Leonis Papæ 14. in qua plura de ecclesiastica servanda disciplina, in ordinandis Ecclesiæ ministris; sed dubitatio non levis insurgit, an Cæsarius dici possit interfuisse huic Arelatensi Concilio, ut textus affirmat, de quo agit *Baron. tom. 6. annual. anno Christi 453.* Leonis Papæ 14. Valentin. 29. vers. *Quod verò ad presentem, & sequentibus, refertur hæc Synodus tom. 1. Concil. fol. 726. ubi dicitur anno Christi 461.*

17 In vers. Decima tertia item Arelatensis. Fuit celebrata Era 851. anno quadragesimo sexto Imperij Caroli Magni sub die sexto Idus Maij; & licet noster Gratianus non referat numerum Canonum in illa statutorum, constat fuisse numero viginti sex, ut apparet ex eadem Synodo, relata *3. tom. Concilij. fol. 268.* in impressione Colonienfi.

18 In vers. Decima quarta Araucensis. De hac Synodo, & Synodis sequentibus est videndus *Azorius d. tom. 2. lib. 5. cap. 19. vers. Undecima.* Gratianus in *Compendio iuris Canonici, p. 1. dist. 3. vers. Decima quarta,* quibus lectores remitto, ne forte prolixior illis videar.

C A P. Septuaginta. XII.

S V M M A R I V M.

- 1 Athanasius quis fuerit?
- 2 Marcus Pontifex quis fuerit?
- 3 Athanasius postulabat cap. Nicæni Concilij.

19 IN superscriptione, ibi, Athanasius. Fuit Athanasius Episcopus Alexandrinus, atque ex Tyrio Eusebianorum conventiculo se subtrahens, Constantinopolim profectus est ad Constantinum Imperatorem, ipsumque accerrimis querimonijs interpellavit adversus Eusebianos, ob toleratas ab eis calumnias; dedit enim ea de re litteras Constantino, quas refert *Baron. tom. 3. annual. anno Christi 336. nu. 2.* tandem in Athanasium fuit relegationis sententia injustè lata ab eodem Constantino, ut per eundem *Baron. num. 9. & sequentibus.*

2 In eadem superscriptione, ibi, Marco Papa. Vide Baron. supra citatis locis Alphonsum Chacon de gestis Pontificum in vita ipsius Marci fol. 89. Marcus Pontifex iste instituit, ut diebus solemnibus statim post Evangelium symbolum Nicenum à clero, & populo magna voce decantaretur; quod usque hodie diligenter, & religiose servatur; constituitque ut Episcopus Ostiensis pallio uteretur, & ab eodem urbis Episcopus consecraretur; fedit octo tantum mensibus, ut testatur Sozomenus lib. 2. cap. 19. tempore Marci mortuus fuit Arius hæresiarca, ut in cap. Sexta, supra eadem dist. adnotavimus.

3 In textu. Postulat Athanasius in presenti, capitula Niceni Concilij, cuius argumentum est, Ægyptios dira Ariatorum persecutione vexatos, inter alia dispendium passos esse Nicenorum Canonum, qui una cum omnibus alijs libris, ab eisdem incensi fuerunt; quorum exemplaria à Romana Ecclesia, datis ad Marcum Papam litteris postulat imperitari. De quo optime Baron. 3. tom. anno Christi 336. nu. 36. & seqq. & nu. 58. & 59. ubi de hac epist. agit, & de responsione Marci ad Athanasium, si ceteri ipsemet Baron. de utrisque dubitet. sequitur Bellarm. de scriptoribus ecclesiasticis anno Domini 1100. tit. de Gratiano vers. Primò.

CAP. Viginti. XIII.

S V M M A R I V M.

- 1 Stephanus Papa quis fuerit?
- 2 Circa textum authores referuntur.

1 In superscriptione, ibi, Stephanus Papa. Vide posita ad cap. Vestimenta, 42. de consecrat. dist. 1.

2 Ad textum. Vide posita ad cap. Septuaginta, & ad cap. Prima in 1. & 2. supra eadem dist. Adde Bellarm. lib. 1. de Concilijs cap. 5. vers. Septima Synodus, & cap. 6. vers. Quartum est Concilium, & lib. 2. cap. 9. in fine.

CAP. Quod dicitis. XIV.

S V M M A R I V M.

- 1 Nicolaus Pontifex quis fuerit?
- 2 Sardicense Concilium quando celebratum?
- 3 Nemo ignorat que publice fiunt.

1 In superscriptione ibi, Nicolaus. Vide posita ad cap. Imperium, supra dist. 10.

2 Ad textum, ibi, Sardicense Concilium. Quod fuit celebratum anno Domini 347. in Sardica civitate, quæ confinis est Illyrij, Mysiæ, & Thraciæ, nobilis tunc civitas, distincta à Sardibus, nunc à Turcis, quicam occuparunt, Triaditze vocata. Interfuerunt 300. circiter episcopi Orientales, & Occidentales. Plura videbis per Baron. tom. 3. annal. anno Domini 347. nu. 1. & seqq. Alphonsum Chacon de gestis Pontificum, sub Julio 1. fol. 92. Franciscum Padilha in Epitome Conciliorum, fol. 8. & 114. Optime Bellarm. lib. 1. de Concilijs, cap. 7. in principio. Sozomenum lib. 3. hist. cap. 11.

3 In Glossa, verbo, Regionibus.

Collige ex Glossa, quod nemo potest ignorare ea, quæ publicè fiunt, de quo ultra notata ad cap. 1. de postulatione Prælatorum. Vide D. Thom. 1. 2. q. 90. art. 4. ad secundum. Sol. de just. q. 1. art. 4. Jason. in 4. Siquis agens, nu. 8. per totam, de action. & in l. Si per errorem, nu. 11. ff. jurisdict. omn. jud. Abb. in cap. Noverit, nu. 3. de sententia excommunicat.

DISTINCTIO. XVII.

S V M M A R I V M.

- 1 Doctores qui agunt de hac distinctione?
- 2 Concilia quomodo debeant congregari?
- 3 Archiepiscopus an Primati subijciatur?

1 In summa. Meminit huius distinctionis Gregor. Lopez part. 1. tit. 5. l. 5. Glossa 18. littera N. Menoch. de arbitrar. casu 458. à nu. 33. & seqq.

2 In, Glossa, verbo, Generalia.

Agit Glossa quomodo Concilia debeant congregari, & à quibus personis, de quo videbis posita per totam distinctionem, & de Conciliorum origine, & quid eis in universum conveniat. Vide Albertum Pighium de eccles. Hierarchia, lib. 6. cap. 1. & species, & differentias ecclesiasticorum Conciliorum, cap. 2.

3 In eadem Glossa, ibi, Primas.

Utrum autem Archiepiscopi subijcti Primati, teneantur ire ad Concilium Primatis? Disputat Imola in cap. Grave, nu. 24. de præbendis, & dicit quod jura non videntur hunc casum decidere, neque reperit tactum per D. D. Præpositus verò in cap. Propter, in fin. dist. 18. dicit quod contra Imol.

Imol. est nostra Glossa cum tantum dicat Primatem posse convocare Concilium Provinciale, sed opinionem Præpositi videtur tenere l. 10. tit. 5. part. 1. & ibi, Gregor. Lop. littera K. ad finem.

C A P. Synodum. I.

S V M M A R I V M.

- 1 Marcellus primus statuit circa Concilium Generale, et nu. 2.
- 3 Concilium Tridentinū innovavit nostrum textum.
- 4 Sacerdotes Dij vocantur.

AD textum. Nota quod Pontifex Marcellus fuit primus, qui statuit Concilium Generale non posse celebrari sine consensu Romani Pontificis, ut per Platinam, & Panvinum in vita ipsius Marcelli, fol. 75. vers. At Maxentius in fine, & vide Padilham in Epitome Concilior. post principium, in Rubrica ad quem spectet celebrare Concilia, & lib. 1. de Concilijs, cap. 12. vers. Quarto. probatur, ubi merito affirmat Concil. Generalia solum à Romano Pontifice congregari posse, & ad id inducit nostrum textum in præsentia. Adde Laliū Iordanum de Episcoporum causis cap. 3. nu. 41. & 42. & cap. 4. nu. 8. Decium in Consil. 151. incipit, Divino implorato presidio, nu. 13. & seqq. Caiet. in Opuscul. de autoritate Papa, & Conciliorum cap. 15. & 16. Bursat. Consil. 109. à nu. 2. & 3. Didacum Alaba p. 1. de Concilio cap. 2. Lancelotus Conrad. in templo omnium iudicum lib. 2. cap. 1. §. 4. verbo, Concilium solus Papa congregat.

2 Licet enim Concilia in exordio surgentis Ecclesiæ convocarentur per Imperatores, ut tradit Zabarel. Consil. 150. vers. Secundo queritur, quia tunc Ecclesia non erat potens, ut daret salvosconductus necessarios. Iure novissimo postquam religio firmata fuit, & Sedes Apostolica firmiter in temporalibus stabilita, sanctum fuit, ut conveniebat quod solus Papa tantquam Vicarius Christi convocaret, & aperiret Concilium generale. Zabarel. cons. 150. nu. 3. cap. Dudum 3. quest. 6. post alios Cardin. Tuscus tom. 2. conclus. 549. nu. 1. & 2. & conclus. 555. nu. 1. & 6. qui textus meminit, lege Suar. de fide disput. 11. sect. 3. à nu. 4. ubi etiam nostrum textum adducit.

3 In vers. Neque. Innovavit Sacrosanctum Trid. sess. 24. de reformat. cap. 20. vers. Ab his, faciunt quæ optime tradit Baron. tom. 3. annal. anno Christi 336. vers. Caterum.

In fine textus, ibi, Dij estis. 4

Verba sunt Regis Prophetæ. Psalmo 81. nu. 6. de quibus ultra expositores vide Peres ad l. 1. lib. 1. Ordinar. vers. Alterius. Sacerdotes ergo tanquam Dij sunt colendi, & qui lædit Sacerdotem, Deū lædit. Ut habetur in cap. Nulli 3. quest. 1. & notavit Glossa, verbo, Calcata reverentia, in Extravag. dierum de pœnis, Ioannis 22. Ideoq; soli Sacerdoti Sanctissimum Dei nomen Tetragramaton, capiti inscriptum gestare concedebatur, ut sciret se proximè ad Deum accedere. Ita Petrus Canisius de Sacramento ordinis, fol. 301. Sebastianus Barrad. tom. 1. Concord. lib. 7. cap. 5. Suar. in defens. fidei, lib. 3. cap. 24. ad finem.

C A P. Regula. II.

S V M M A R I V M.

- 1 Iulius Papa, quis fuerit?
- 2 Non est Concilium, nisi Pontifex illud approbet.
- 3 Pontifex per legatos potest interesse Concilij.

IN superscriptione, ibi Iulius. Vi-
posita ad cap. Nolite, dist. 11. de

AD textum. Notat Præpositus in cap. Canonones, nu. 12. dist. 15. ubi refert Iulij Papæ scripta, & tamen interea nos- ter textus non refertur, sed illum refert Bellarmin. lib. 1. de Concilijs, cap. 12. vers. Clarissime, & ex textu colligit non esse ratum Concilium, quod autoritate Pontificis fultum non fuerit. Vide ad hoc Laliū Iord. de Episcoporum causis, cap. 3. nu. 43. & 47. de eius consil. 151. nu. 13. Caiet. de autoritate Papa, & Concilij. cap. 15. Bursat. consil. 109. nu. 2. & seqq. Salas de legib. disp. 8. sect. 15. in principio. Franciscus Gratianus in Compendio juris Canonici, dist. 6. nu. 228. vers. Nec ullum. Suar. de fide, disp. 11. sect. 3. per totam.

In textu, ibi, Ecclesiæ legatus interfuit. Ergo Pontifex per legatos potest interesse Concilij, qui legatus debet præsidere; de quo vide Bellarm. d. lib. 1. de Concilijs, cap. 19. vers. Catholici omnes, & patet ex epist. Leonis 17. ad Theodosium, & 47. ad Concil. Chalcedonense. Atq; an tales legati possint errare in definiendis rebus Concilij? Vide optime p eundem Bellarmin. lib. 2. de Concilijs, cap. 11. cum quo prosequere, & vide Turrecrematam in summa ecclesiast. lib. 3. cap. 32. & 34. ad Suar. proximè citatum, & disp. 5. sect. 7. nu. 11.

CAP. Huic soli. III.

SYMMARIUM.

- 1 Damascus Pontifex quis fuerit?
- 2 Non usurpantur concessa Romana Ecclesia.
- 3 Sedes Apostolica quare sic nominatur? & num. 4.
- 4 Aliqua negotia Sedi Apostolica reservantur.

IN superscriptione, ibi, Damascus. Qui fuit Antonij filius Lusitanus ex oppido Vimarensi (vulgo Guimaraens) diocesis Bracharensis, ut præter Lusitanos nostros, fatentur ex Hispanis, Allescias in hist. Pontificali, in vita S. Damasi. Garibay in Compendio historiali. p. 1. lib. 7. cap. 52. Pineda in Monarch. ecclesiast. p. 2. lib. 13. cap. 22. Gaspar Barrer. in sua Chronograph. cap. de Madrid. fol. 54. D. Maurus Castela Ferrer. in hist. D. Jacobi, lib. 2. cap. 23. Gregorius Tholosanus in cap. Conquerente, cap. 2. nu. 4, fol. 226. de officio ordinar. creatus anno Domini 367. vir sanctus, & eruditus in scripturis. Viam Platoniæ dedicavit, versibus quoque elegantibus sanctorum corpora eo loci sepulta, exornavit, multaq; alia metro, & prosa edidit. Pœnam talionis constituit eis, qui alterum falsi criminis accusassent: instituitq; ut in Ecclesia psalmi ab alternis canerentur, & in fine cuiuscumq; psalmi diceretur Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, & ut confessio, missæ esset exordium. Theodorus Seniore Imperatore, obdormivit in Domino, lege Platinam in vita ipsius, Alphonsi Chacon. de gestis Pontificum, fol. 100. & seqq. Baron. tom. 4. anno Domini 384. nu. 11. & seqq. fr. Bernard. de Brito in Monarch. Lusit. p. 2. lib. 5. cap. 27. Barbof. ad Ordin. Lusit. lib. 5. tit. 49. §. 2. nu. 2.

2 Ad textum. Illud notat Præpositus in cap. Canonibus, nu. 2. & 14. dist. 15. & collige ex eo nulla posse usurpari concessa Romana Ecclesia, de quo ultra posita ad cap. supra proximum. Adde Lelium Jordanum de Episcoporum causis, cap. 3. nu. 55. Decium Consil. 151. nu. 13. & seqq. Caiet. de auctoritate Papa, & Concilij, cap. 15. Bursarium cons. 109. nu. 2. 3. & seqq.

3 Ibi, Sedi. Licet ab antiquis vocetur Sedes Apostolica, non solum Romana, sed etiam Antiochena Hierosolymitana, & alia, quas Apostoli fundaverunt, ut patet ex Augustino epist. 162. cum tamen dicitur absolute Sedes Apostolica, semper intelligitur Romana, quæ p antonomasiam dicitur Apostolica, quia Romanus Pontifex non tantum dicitur Præsul

Apostolicæ Sedis, ut Antiochenus, & quidam alij, sed etiam eius munus dicitur Apostolatus, ut patet ex Concilio Chalcedonensi actione 1. & efficaciter comprobatur Bellarm. lib. 2. de Romano Pontifice, cap. 31. vers. Quatuordecimum, & seqq.

Rursus Sedes Apostolica idem est, quod Romana Curia, cap. 2. & cap. Prasenti, de prabend. lib. 6. Rota nova decis. 38. nu. 4 & 5. Mandosius in regulas chancellerie, regula 5. q. 1. unde nota quoad multa effecta, Sedem Apostolicam, & Curiam Romanam esse ubi Summus Pontifex extiterit; idemq; erit dicendum in terminis Clement. 1. ut lite pendente, de beneficijs litigantium, qui in Romana Curia decedunt, pro ut resolvit Innoc. in cap. Ego enim, ad fin. Abb. ibidem, nu. 6. Felin. 9. Communis ut per Mandosium d. loco, q. 2. Com. regula de triennali, q. 31. vers. Sed antequam. Rebus. in Concordatis, tit. de forma mandati, verbo, Romanam Curiam. Lege pro tota hac questione Garciam de benef. p. 5. cap. 1. à nu. 386. ubi multos refer. Cened. collect. 25. ad sextum, nu. 4.

In Glossa. Agit Glossa de nonnullis negotijs, à Sede Apostolica specialiter reservatis, de quo etiam videbis Lelium Jordanum de Episcoporum causis, cap. 3. nu. 33. & 35. & cap. 4. nu. 8. & 9.

CAP. Nec licuit. IV.

SYMMARIUM.

- 1 Absq; Apostolica Sedis auctoritate non licet Synodum particularem contra universalem congregare.
- 2 Si dubitatur de sensu Concilij, ad Sedem Apostolicam est recurrendum.
- 3 Incorrigibilis sine accusatione remove-
- 4 Clericus incorrigibilis, an ipso jure privilegium perdat?

NOta ex textu, non licere absq; Apostolicæ Sedis auctoritate Synodum particularem contra universalem congregare, pro ut etiam ex nostro textu notantur Promptuarij juris, tom. 2. verbo, Contemp-
tibilis, in Glossa, littera C. fol. 97. Gregor. Lopez part. 1. tit. 6. l. 59. Glossa 3. Decius d. cons. 151. nu. 19. & seqq. Bursar. cons. 109. à nu. 2. Doctior Guerep de Concilio, cap. 2. post medium, & in cap. 3. vers. Mas cemo se hi dicta. Notat etiam nostrum textum Tusch. tom. 2. conclus. 153. nu. 5. ad hoc quod Concilium non aperitur nisi ex licentia, & auctoritate Pontificis.

2 In textu ad medium, ibi, Ad Apostolicam Sedem. Vide Concil. Trid. sess. 24. de reform. cap. 20. post principium, vers. *Ab his excipiantur*; & collige quod si de sensu, & mente Concilij dubitatio orta fuerit, ad Sedem Apostolicam est recurrendum; de quo vide *Bullam Pij 4.* ante fin. vers. *Si cui verò*, quæ est inserta in calce Concil. Trident. quia tantum ad Summum Pontificem spectat dubia declarare; vide posita ad cap. *Sancti*, supra 8. dist. Adde *Butrium in cap. 3. n. 2. & 3. de rebus Ecclesie.* Bellarm. 3. controversia general. lib. 4. de Romano Pontifice, cap. 1.

3 Ibi, Obstinati. Notat Innocent. in cap. 1. de officio custodis, ad hoc, quod quando quis est incorrigibilis, potest sine accusatione removeri, quia notorium est eius crimen,

4 In Glossa Vlt. ibi, Nisi incorrigibilis sit. Tenet Glossa clericum incorrigibilem ipso jure privilegium clericale amittere, quoad forum, ita ut per secularem judicem judicari, & puniri possit, ut per *Coyar. practic. cap. 32. nu. 2. vers. Secundo.* Mantua Dialogo 29. post alios Bernard. in pract. cap. 139. n. 4. ubi *Additio. Bossius in pract. tit. de foro compet. n. 131. Clarus in praxi, §. ult. q. 36. nu. 33.* Intendit Glossa verbo, *incorrigibilis, in cap. Ut fama. de sent. excõm.*

8 C A P. Multis. V.

S V M M A R I V M.

- 1 Pelagius Pontifex quis fuerit?
- 2 Ioannes Patriarcha quis fuerit?
- 3 Non est Concilium quod sine Sedis Apostolica autoritate celebratur.
- 4 Ad deponendum Episcopum, omnes Episcopi concordare debent.
- 5 An à Concilio provinciali appelletur?
- 6 Concil. Trid. innovavit nostrum textum.

1 In superscriptione, ibi, Pelagius Secundus. Fuit Sanctus Pelagius Vvinigildi filius, Romanus, seu Gothus, ut alij volunt, creatur Pontifex anno Domini 579. Imperatoribus Tiberio, & Mauricio Augustis, sedit annos 10. menses duos, & dies 10. creatus 3. Idus Novembris, quæ incidunt in diem undecimam eiusdem mensis anno Domini 579. de quo videbis *Platinam in vita ipsius Pelagij, & ibi, Panvinum in Additionibus, Alphonsam Chacon de gestis Pontificum, fol. 161. Baron. tom. 7. anno Christi 578. & seqq.*

In eadem superscriptione, ibi, Ad illicitam vocationem Ioannis.

Synodus hæc Constantinopolitana fuit coacta anno Christi 587. in causa Gregorij Episcopi Antiocheni, sed eius prætextu volebat Ioannes Patriarcha Constantinopolitanus, Sedem suam supremam declarare, solus Episcopus vocari volens. Vnde Pelagius cuncta in ea Synodo decreta iussit deleri, præter absolutionem Gregorij. Vide *Chacon de gestis Pontificum, pag. 163.*

3 Ad textum. Collige non esse Concilium, quod sine Sedis Apostolicæ autoritate celebratur, de quo vide *Dectum conf. 151. à nu. 13. Bursat. conf. 109. nu. 2. & seqq. Greg. Lopez part. 1. tit. 5. l. 12. Glossa 9. post med. Lellium Jordanum de Episcoporum causis ad Papam deferendis, cap. 4. nu. 8.* qui hunc textum refert, & alia jura cumulat. Adde posita ad cap. *Synodum, supra eadem dist. & Bellarm. lib. 1. de Concil. cap. 12. vers. Septimo probatur.* Francisc. Gratian. in compendio juris Canonici, dist. 6. nu. 228. vers. *Esi in qualibet.* Cardinal. Tusch. tom. 2. conclus. 552. nu. 6. *Suar. de fide, disp. 11. sect. 3. per totam.*

4 In vers. Si verò. Vide *Beroum, in cap. Cũ omnes, n. 68. vers. Item contra, de const.* qui hunc textum refert ad hoc, quod ad deponendum Episcopum omnes concordare debent, nec sufficere maior pars Episcoporum.

5 In eodem vers. ibi, Referantur. Ego à Concilio provinciali potest appellari, de quo vide posita in cap. *Vlt. vers. Vlt. 3. q. 5.*

6 In vers. Maiores verè. *Trid. sess. 24. de reform. cap. 20. post principium, & posita ad cap. Non licuit, sup. eodem.*

C A P. Concilia. VI.

S V M M A R I V M.

- 1 Concilia sine Papa autoritate congregata, sunt irrita.
- 2 Concilia provincialia, an possint ferre leges?
- 3 Concilia provincialia, an errare possint?
- 4 Solus Papa vocat, & aperit Concilium.
- 5 In schismate de Papatu, quis vocet Concilium?
- 6 Romana Ecclesia non habet autoritatem à Concilijs.
- 7 Maiorem prerogativam habes dignior est.
- 8 Reges an possint beneficia conferre?

Vide *Platinam de vita Pontificum, in vita Symachi. Castrum adversus hæreses, lib. 1. cap. 8. post principium, vers. Symachus, qui verba textus refert.*

refert, & per illum tenet Concilia sine Papæ auctoritate congregata, esse irrita, & nullius roboris. Idem tradit Bellarm. lib. 2. de Concilijs, cap. 10. vers. *Secundo*, ubi nostrum textum refert. Et Suar. cap. *Præcedenti*, nu. 3. allegatus.

2 **Ibi, Quia presentiam Papæ non habent.**

Licet enim Concilia provincialia, non possint per se ferre leges obligantes totam Ecclesiam, nisi Pontifex illas efficiat suas, habent tamen potestatem legislativam condendi leges, quia hæc Concilia inter se habent caput sibi proportionatum, scilicet Primatem, Archiepiscopum, vel Episcopum, & ideo sufficiunt ad ferendas, & confirmandas suas leges particulares, de quo vide Suar. lib. 4. de legib. cap. 6. n. 9. qui nostrum textum refert.

3 **In vers. Hinc etiam.** Notat *Præpositus*, in cap. *Habeo*, supra dist. 16. & vide *Trid. sess. 24. de reformat. cap. 20.* post principium; & utrum Concilia provincialia errare possint, affirmativè resolvendum est. *Canon de locis theolog. lib. 5. cap. 4. vers. Quarta conclusio*, post multos Bellarm. lib. 2. de Concil. cap. 4. 5. & 10. Suar. de fide disput. 5. sect. 7. nu. 3. & hunc vers. citat *Iacobus*, de Concil. lib. 10. art. 7. fol. 660. ad hoc quod licet Papa sit imperitus, nihilominus ipsemet debet dare auctoritatem Concilio.

4 **Ibi, Venerabili Papæ.** Igitur licet agatur de querelis contra Pontificem, nullus convocat, vel aperit Concilium nisi solus Papa, ut ex nostro textu deducit *Cardin. Tuscus*, tom. 2. conclus. 549. nu. 3. quod extendit etiam, si contendatur de Papatu inter duos, qui essent in possessione obedientiæ, quia ad illos solos spectat convocatio Concilij generalis; videlicet, ut quilibet eorum compellat suos obedientes ad Concilium. *Zabareh. conf. 150. n. 3. apostilla ad Abbatem, in cap. Significasti, de elect. col. 8. vers. Sexto etiam casu.*

5 **Ibi, Episcopi suggererunt.** Col-
lige, quod si esset schisma de Papatu, tunc spectat ad Patriarchas, & Episcopos Concilium generale convocare, p modum voluntariæ cōgregationis, ut contigit tempore Papæ Marcellini, ex textu in cap. *Nunc autem*, infra, 21. dist. *Iulius Clav. §. Fin. q. 35. n. 4.* elegantèr *Tuscus* tom. 2. concl. 149. n. 10. & 11. Licet primo loco cōvocatio Concilij spectet illo casu ad Collegium Cardinalium, quia data negligentia superioris, ad proximiores fit devolutio, ut post *Butrium*, & alios tradit ipse *Tuscus*, ubi proximè, n. 7. & 8. Idem dicendum est, quādo Papa devenisset ad insaniam, vel dementiā ita ut esset omnino inhabilis. *Tusc. n. 14.*

6 **In eodem vers. ibi, Tradidit potestatem.** Ergo Romana Ecclesia habet auctoritatem à Concilijs; quia à Pa-

tribus habuit Primatū, ut innuit Glossa in præfenti, verbo, *Iussione*, & tenent nonnulli hæretici nostri tēporis; sed falsissimum est, cum Romanus Pontifex immediate potestatem accipiat à Christo, à quo ecclesiastica potestas Petro, & successoribus data est, atq; ita hoc pluribus fundamentis comprobatur *Triumphus de potestate Pontif. q. 1. art. 1. Capistranus de auctoritate Papæ, & Concil. p. 1. 2. principalis*, à principio. Bellarm. lib. 2. de Romano Pontifice, cap. 13. & seqq. & cap. 17. *Turrecrem. in summ. Ecclesia*, lib. 2. cap. 38. & seqq. & ad verba textus in præfenti (quæ sunt Concilij Chalcedonensis) respondit Bellarm. d. cap. 17. vers. *Quare ad primum*, negando Conciliū Chalcedonense ea in parte legitimè factum, sed facilius solvit *Turrecrem. d. lib. 2. cap. 41. ad secundum*. Romanū Pontificem à Concilijs accepisse potestatem secundario, idest declarativè, & executivè, obediendo scilicet divinæ ordinationi, sedem illam honorādo, ut caput, & matrem omnium Ecclesiarum.

7 **In fine textus, ibi, Sedis prærogativam.**

Notat *Gama decis. 1. nu. 1.* ad hoc quod hi, qui maiorem prærogativam habent in subscribendo, sedendo, incedendo, & loquendo, debent esse digniores ratione temporis, promotionis ad officium, aut dignitatis adeptionem. Adde *Tiraq. in tract. de primog. q. 6.* elegantèr *Pacianus de probation. lib. 2. cap. 26. nu. 122.* & seqq.

8 **In Gloss. verbo, Reverentia, ibi, Nec præbendas dare.** Ergo Reges non possunt beneficia conferre; quod an sit verum, ultra posita ad *Glossam*, in cap. *Imperium*, 10. dist. Vide *Boer. decis. 32.*

CAP. Episcopos. VII.

S V M M A R I V M.

- 1 *Episcopi qualem ordinē servant in Concilijs?*
- 2 *Qui prius dignitatem recipit, præferendus est alijs.*
- 3 *Nobilitatus à Rege præfertur nobilitato ab inferiori.*

Collige ex textu, quod Episcopi in sessionibus, & subscriptionibus in Concilijs, illum ordinem tenere debent, ut, qui primò ordinatus fuerit, primū locū, & qui secundò, secundum sibi vendicet; & sic de cæteris. Tradit *Cassaneus in Cathalogo gloria mundi*, 3. p. *considerat. 23.* quod etiam declarabis cum *Boer. de auctoritate Concilij*, nu. 62. & seqq. *Tiraq. de nobilitate cap. 20. nu. 52. NAVAR. lib. 1. conf. 5. de maioril.*

maioritas. & obedientia. nu. 8. vers. Quod autem, & conf. 10. nu. 1. in 2. editione, & utrobique nostri textus meminit, quod intellige nisi secundo ordinatus, sit potioris dignitatis, ut est Patriarcha, vel Primas, respectu Archiepiscopi, & Archiepiscopus inter Episcopos. Vide me cap. 1. dist. 90. ubi multos referam. Interim consule Abb. in cap. Clerici, nu. 3. de iudic. & ibi Dec. nu. 8. Felin. in Rubr. de maiorit. col. 2. Cassan. in Cathalogo, confid. 78. l. 2. C. ut dignitatis ordo seruetur, l. 1. C. de Consulib. lib. 12. Seraphin. decis. 1223. Mastrill. decis. 130. num. 13. Martam voto 101. nu. 8.

2. In Glossa, verbo, tempus. Dicit quod qui prius dignitatem receperunt, preferendi sunt alijs, & ad hoc citat eam Greg. Lopez part. 1. tit. 5. l. 15. Glossa 1. post med. vers. Nam dignioribus. Navar. de maiorit. & obedientia. conf. 5. nu. 8. in fine. Maranta in proemio de ordine iudicior. n. 9. & 10. Intellige limitando, ut numero precedenti.

3. In eadem Glossa, ibi, Præponitur alijs. Ergo nobilitatus ab Imperatore, vel Rege, præfertur nobilitato ab inferiori, licet iste antiquior sit, ut per nostram Glossam defendit Tiraq. de nobilitate, cap. 6. nu. 7. & 8. qui multos refert.

DISTINCTIO XVIII.

SUMMARYM.

1. Concilia Episcoporum, an possint definire, & corrigere? n. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8.

1. In principio distinctionis. Dicit Gratianus Concilia Episcoporum esse invalida ad definiendum, non autem ad corrigendum. Vide optimè Hostium Cardinalem de Concilio Oecumenico, cap. 24. col. 5. vers. Verum universalis. fol. mihi 19. & circa materiam totius distinctionis vide Suar. de legib. lib. 4. cap. 6. per totum, præcipuè n. 9. & utrum Concilium provinciale, & universale possint tanquam suspecta recusari? Vide latè per Menoch. de arbitrar. centuria 5. casu 458.

2. Sed Gratianum in presenti reprobatur Glossa, verbo, Constituendam, quam sequitur Archidiaconus. Præpositus. hic Turrecrem. in hoc §. in fine, & inter errores connumeratur à Felin. in cap. 2. num. 43. de rescriptis, ex eo, quia omnis cõmunitas in terminis juris cõmunis potest condere statuta ad sui gubernationem necessaria, probat Barr. p. textum ibi, in l. Omnes populi, nu. 4. & seqq. ff. de just. & jure. Notavi in cap. 1. nu. 3. & 8. supra, dist. 2. cum unicuique cõmunitati desuper data sit potestas ad comparandum finem, in quem natura

sua tendit, & partes ad totum ordinentur, ut tradit Castro de lege penal. lib. 1. cap. 1. Navar. in cap. Novit de iudicij, notabili 3. nu. 41. vers. Arbitramur, & ex Aristotele comprobatur Covar. practica. cap. 1. nu. 2. planè sine potestate faciendi leges, non potest cõmunitas in rectum finem ordinari, ut docet Bellarm. lib. 4. de Romano Pontifice, cap. 16. ad fin. unde necessario dicecesano Concilio, tanquam cõmunitati, aliqua statuendi potestas danda est.

Deinde convincitur Gratiani error, quia potest Episcopum condere statuta passim apud Pontifices reperitur, ut patet in cap. Quamvis, de his, que sunt à Prælati, cap. Cum dilectus, de consuetudine, cap. Fin. de his, que sunt à maiori, cap. 1. de locato. cap. 2. §. Statuto, de constitut. lib. 6. cap. Cum omnes, ubi notant scribentes de constitut. Ergo hæc potestas Synodali congregationi deneganda non est, quinimò in specie, quod Synodalis congregatio statuere possit, dummodo non sit contra ius cõmune; probatur ab speciali cap. Quod super his, de maiorit. & obedientia, ibi. Dummodo in ipsa Synodo non ducas aliquid statuendum, quod Canonici obiter institutis; ubi Felin. in principio, & in effectu Berous in d. cap. Cum omnes, n. 50. de constitut. ubi Dec. nu. 19. & 20. Henric. lib. 10. de ordine, cap. 31. §. 3. & lib. 13. de excommunicat. cap. 24. §. 1. ad fin.

Ut tamen Gratianus ad verum sensum reducat, sunt supponendæ sequentes conclusiones. Sit prima conclusio, Episcopus contra ius cõmune nihil potest, nec per se, nec in Synodali Concilio statuere. Probatur expressè in cap. Quod super his, de maiorit. & obedientia, Clement. Ne Romani de elect. cap. Fin. de officio Archiepiscopi, præsequuntur Dec. in cap. Quæ in Ecclesiis, nu. 12. de constit. Abb. in cap. Vlt. de consuetudine, nu. 9. & in cap. Quod clericis, 45. de foro compet. Declarat Ias. in l. Omnes populi, nu. 9. & seqq. lectura 2. ff. de just. & jure, & alij passim resolventes Episcopo non esse licetiam dispensandi sup jure cõmuni, præterquam in casibus à jure expressis; ut post Abb. & Dec. tenuit Rebus. in praxi, tit. de dispensat. nu. 23. Covar. in cap. Alma, l. p. §. 7. nu. 8. & de sponsal. 2. p. cap. 6. §. 10. nu. 11. Quod etiam procedit in interpretatione juris cõmunis, vel cuiuslibet constitutionis Pontificiæ, quæ etiam Episcopis interdicta est, ex l. Fin. C. de legibus, ubi legis interpretatio conditori reservatur. Idem dicendum est in Archiepiscopo, vel legato, etiam de latere, quibus contra ius statuendi non est potestas. Covar. d. nu. 11. post Glossam penult. in cap. Dilectus, 19. de præbendis.

Secunda conclusio, Episcopus, nec cum Synodo dicecesana potest aliquid statuere circa maiores, & graviores causas. Ita Glossa 2. in presenti, quam sequuntur Præpositus, Archidiaconus. & Turrecrem. Abb. in cap. Maiores, in principio, de baptismo, Berous in cap. Cum omnes, nu. 44. de constitut. ubi extendit etiam ad legatos de latere. Abb. in cap. 2.

ubi *Glossa I. de maiorit. & obedientia.* Ratio conclusionis est, quia ampla Episcoporum iurisdictione in sua diocesi restringitur per restrictionem Pontificis, quem constat ab Episcoporum iudicio has causas graviores exemisse, *cap. Maiores, de baptismo, in principio.* Unde consequitur, quod an aliquid sit de fide, non poterit Episcopus, nec Concilium diocesenum definire, cum hæc causa sit speciliater reservata *d. cap. Maiores, ubi, Glossa I. cap. Quoties, 12. q. 1.* Nec obstabit *cap. Ad abolendam, de hæreticis, ubi excōmunicatur omnes, qui hæretici judicantur ab Ecclesia Romana, vel à Concilio provinciali, vel diocesano.* Respondetur enim cum *Bellarmin. lib. 2. de Concilijs, cap. 10. vers. Sed contra,* Pontificem non dicere, posse Concilium provinciale, vel diocesenum definire, an aliquid sit de fide; sed quod potest iudicare, an aliquis inciderit in hæresim damnatam, quod cuilibet Episcopo iure ordinario, & Inquisitoribus iure delegato, licet; ut intendit *Glossa, verbo, Nisi, in d. cap. Quoties.*

6 Tertia conclusio, Episcopus, & Concilium diocesenum poterunt statuere circa causas, quæ non fuerint graviores, nec iuri cōmuni adversentur. Conclusio est *Archidiaconi, Prapof. & Turrecrem. hic; Felin. in cap. Cum omnes, n. 9. de constitut. & efficaciter decidunt jura nu. 3. adducta.* Ex quo inferitur Episcopum per se, & in suo Concilio posse statuere etiam super causis gravibus, si non fuerint de illis gravioribus Apostolico iudicio reservatis; ut optimè explicat *Berous in cap. Cum omnes, n. 44. de constitut. licet nu. 43. male citet in contrarium Glossam in d. cap. 2. de maiorit. quæ tantum loquitur de illis causis maioribus Sedi Apostolicæ reservatis, ut advertit Abb. ibidè. in principio, quod etiam posset solus Episcopus statuere non vocata Synodo, cuius in hoc maior non est autoritas, quam Episcopi.* Inferitur etiam posse Episcopum quidquam statuere etiam in præjudicium subditorum non presentium, & non consentientium, quidquid contrariū teneat *Berous in d. cap. Cum omnes, nu. 3. de constitut. Felin. nu. 11. ad med. Nec multum urgent jura, quæ adducit Berous.*

7 Magis urget *cap. 2. de locato, ubi clerici possunt locare fructus sui beneficij; non obstante contrario Episcopi statuto, quod ex eo videtur procedere, quia in præjudicium non consentientium clericorum datum fuit, ut per citatos à Felin. d. nu. 11. Sed responderi potest statutum, de quo ibi, esse contra ius cōmune, quo omnibus cōceditur libera fructus sui beneficij locandi facultas. Unde cum Episcopus contra ius cōmune nihil disponere valeat, juxta *reg. in d. cap. Quod super his, de maioritat. merito, illo non obstante, fructus locare possunt; quia tamen erat illud ius cōmune in favorem clericorum latum, si illi cōsentirent Episcopo statuenti, tanquam p. quandam renuntiationem iuri cōmuni poterit deroga-**

gari. Nec obstabit quod Episcopus statuere potest, ut scholasticus præferatur alijs conductoribus in domibus conduci solitis, de quo in *cap. I. de locato; at de iure cōmuni regula generalis dicitur, unicuique liberum esse rem suam, cui velit locare; solvitur enim si dicas, constitutionem illius textus specialem esse quoad civitatem Bononiæ, ut testatur *Navar. in Man. cap. 27. nu. 114. vers. Quarto, post alios Cened. collect. 36. ad Decret.**

His deductis Gratianus defenditur, si dicamus illum agere in præsentem de casibus per ius cōmune decisus, in quibus inquit nullam esse Episcoporum autoritatem definiendi, vel constituendi, quod patet ex his, quæ diximus *nu. 4.* habere tamen autoritatem ad corrigendū, hoc est, ad puniendā delicta per ius cōmune dānata; & exhortandū, hoc est, ad incitandum ad observantiam præceptorum juris cōmunis, quod declarat verbis subsequentibus, ibi. *Habent tamen autoritatem imponendi, & indicendi, quod aliās statutū est.* Ex quibus clare ostendit Magister se agere de illis, quæ iure cōmuni erant statuta; & sic illa tantum Gratiani verba in rigore præbunt, non licere Episcopo, & Synodali congregationi, cōtra ius cōmune aliquid statuere, sed posse ad illius observantiam monere, & pœnas à iure statutas contra delinquentes exequi. Amplius posse Episcopum ad juris cōmunis observantiam, novas addere pœnas, ut notabimus in *cap. 2. nu. 5. infra, hac dist.*

CAP. Placuit. I.

SUMMARIUM.

- 1 Archiepiscopus est caput Concilij.
- 2 Metropolitanus à quo dispensetur, si non possit celebrare Concilium?
- 3 Seniores debent sedere in primo loco.
- 4 Cōmendatarij in quo loco sint recipiendi?
- 5 *Gloss. verbo, Constituendā, interpretatur.*
- 6 Episcopus an possit facere statuta?

AD textū. Notat *Mench. de arbitrar. casu 458. un. 17. ad hoc, quod Archiepiscopus est caput Cōcilij provincialis.*

Ibi, Metropolitanus. Metropolitanus, qui ex aliqua causa hoc Concilium ad præscriptū tēpus celebrare non potest, à Summo Pontifice solet dispensari, ut censuit cōgregatio *Concil. Trid. ad cap. 2. sess. 24. de reform.*

Ibi, Secundum ordinationis. Notat *Tiraq. in præfatione primogenitorum, nu. 115. ad hoc quod Seniores primo loco sedere debent; & collige quod in Concilijs Provincialibus, in præcedentia Episcoporum est attendendum tēpus*

pus ordinationis, non autem dignitas Ecclesiarum, vel earum ordo, & præminentia, quod censuit congregatio Concilij Trident. intellige nisi distantia sit inter ipsas dignitates, ut est inter Primatem, & Archiepiscopum; recurre ad cap. Episcopus 7. nu. 1. dist. 17.

4 Comendatarij monasteriorum, sive Abbatiarum in Concilijs provincialibus inter Abbates recipiendi sunt. Canones cathedralis Ecclesie sunt præferendi, quando capitulariter procedunt; extra hunc casum Abbates titulares, vel habentes usum mitræ, debent præcedere Comendatarios; post hos locum obtinent dignitates; & post dignitates collocandi sunt procuratores Ecclesiarum Cathedralium ex Congregatione Concilij.

5 In Glossa, verbo, Constituentem, ibi, Archiepiscopus. Late Duenas in regula 245.

6 In eadem Glossa in fine, ibi, Aliquid statuere. Notat Abbas in cap. Cum consuetudinis, num. 5. de consuetudine, & per illam controvertit an Episcopus cum consensu capituli, possit facere indifferenter statuta.

C A P. De Concilijs. II.

S Y M M A R I V M.

- 1 Leo Pontifex Primus quis fuerit?
- 2 Doctores, qui textus meminere. & n. 3.
- 4 Concilium provinciale, an cognoscat de causis Provinciae?
- 5 Episcopus potest adiungere pœnam pastam jure Canonico.

1 IN superscriptione, ibi, Leo primus. Vide posita ad cap. Hoc vestra, distinct. 11.

2 Ad textum. Notat Rebuf. conf. 194. col. 2. vers. Fit enim ista Synodus. & Gregor. Lopez part. 1. tit. 5. l. 11. Glossa. 5.

3 Ibi, Bini. Vide posita ad cap. Quoniam, infra, in cap. Sicut olim, de accusationibus.

4 Ibi, De omnibus querelis. Ergo Concilium provinciale cognoscit de omnibus causis ecclesiasticis totius provincie, & habet jurisdictionem super omnes de provincia. Notat Abb. in cap. Grave, & post Hostiensem in cap. Sicut olim, de accusat. Lancel. Corrad. in templo omnium ju-

dicum, lib. 2. cap. 6. nu. 2. tradit Quaranta in summa Bullarj. verbo, Concilium Provinciale, nu. 11. & cognoscit de omnibus causis ne dum per appellationem, sed etiam per simplicem querelam, omnium læsorum, secundum Innocent. cõmuniter receptum in d. cap. Grave, nu. 7. de quibus, & alijs, vide Quaranta, ubi supra, d. nu. 11. per totum, & ibi Additio.

Quod Episcopus in Synodo potest adiungere pœnam prohibitioni juris Canonici, quia in hoc nihil facit contra ius Canonicum, sed potius favet eidem, & adjuvat; argumento textus in cap. 2. §. Statuto de constitut. in 6. cap. Innotuit, de eo, qui furtive ordines suscepit, & ibi. notat Abb. nu. 2. Gutierrez lib. 2. practic. q. 1. nu. 14.

C A P. Habeatur. III.

S Y M M A R I V M.

- 1 Nicœnum Concilium, quando, & qualiter celebratum?
- 2 De tempore quo Concilium provinciale debet celebrari.

1 IN superscriptione, ibi, Nicœno Concilio. Refertur 1. tom. Concilior. cap. 5. fol. mihi 152. anno 12. Sylvestri Pontif. & Constantini 20. Christi autem 325. Consulibus Paulino, & Iuliano, in quo interfuerunt trecenti decem, & octo Episcopi, ut tradit Epiphanius heres. 69. Hilar. lib. contra Constant. & post Ruffin. & Theodoretum, tradit Baron. tom. 3. annal. anno Christi 325. nu. 18. (reprobatis Eusebio, & Socrate) & viri illustres qui interfuerunt Nicœno Concilio. Vide ibidem nu. 19. & 20. & de numero Nicœnorum Canonum, vide nu. 156. & seqq. cum quo proseguere. Nicœa ista Bithiniæ civitas est, de qua loquitur Ptolomæus lib. 5. cap. 1. Plinius lib. 5. cap. 32. Adde posita in cap. 1. dist. 15. nu. 3. & seqq.

Ad textum. Agit textus de tempore, quo Concilium Provinciale debet celebrari, & collige ex illo non debere Concilium celebrari temporibus, quibus abstinentiæ, seu contemplationi est vacandum; ut in Quadragesima, & in diebus, quibus insistendum est celebrationi celebratum; ut post Henric. Botteum de Synodo p. 1. nu. 56. tradit Quaranta in summa Bullarj, verbo, Concilium Provinciale, nu. 4. & in Congregationibus Conciliorum debet haberi ratio, ut hi, qui vocati sunt, non fatigentur propter discrimina itinerum, & etiam debet haberi ratio tēporis, ut non hyeme fiant, cum in istis tēporibus periculosa sit itineratio, ut post alios tradit idem Quaranta d. nu. 8.

CAP. Propter ecclesiasticas.

IV.

S V M M A R I V M.

- 1 Tridentinum textum innovavit.
- 2 Doctores, qui de textu agunt.
- 3 Menses hyperberetæi.
- 4 Episcopus non consecratus an possit Synodum congregare?

1 **V**ide Trident. sess. 24. cap. 2. per totum, de reformat. & vide posita ad cap. Propter, infra eodem.

2 **In vers. Secundo verò.** Vide latissime Covar. lib. 4. resolut. cap. 14. nu. 12. col. penult. qui materiam textus differit, & eum citat.

3 **Ibi, Græcos hyperberetæi.** Apud Macedones mensem Octobris ita vocari author est Suidas, esseq; ultimum anni apud eos, de quo vide Alciatum lib. 1. parergon. cap. 48. qui nostrum textum refert.

4 **Ibi, Sine Episcoporum conscientia facere.** An autem Episcopus nondum consecratus possit Synodum congregare? Partem affirmativam tenet Innocent. in cap. Transmissam, infine, & ibi, Cardin. q. 7. Abb. col. fin. nu. 4. de elect. Botteus de Synodo. 1. p. nu. 30. & est ratio, quia hæc potestas pertinet ad jurisdictionem Episcopi. Contrarium tamen tuetur Ripa in cap. Eam te, de rescriptis. nu. 6. quia ad hoc exigit discussionem maioris inquisitionis. An inferior ab Episcopo possit Prescribere potestatem congregandi Concilium? Vide Botteum de Synodo 2. p. nu. 41. qui partem affirmativam tenet, tradens rationem, quod congregare Concilium pertinet ad jurisdictionem, & jurisdictio Episcopi prescribi potest cap. Auditis. de prescriptionibus.

CAP. Non oportet. V.

S V M M A R I V M.

- 1 Episcopi vocati, debent ad Synodum venire.
- 2 Quid faciat ad se excusandum.
- 3 Pena non venientium ad Concilia.
- 4 Episcopus si non veniret, poterit excommunicari.

Inquit textus, quod Episcopi vocati ad Synodum, debent venire. Unde collige, quod si Archiepiscopus vocat illos, & ipsi non veniunt in termino eis assignato, convincuntur de negligentia, & potestas devolvitur ad accedentes etiam numero pauciores; ut post Jacobat. de Concilio, tradit Quaranta d. verbo, Concilium, nu. 5. ubi. Additio affert rationem, ex eo enim quod vocati venire noluerunt, alienos fecisse videntur; cap. Cum nobis 19. post principium. ubi Abb. nu. 3. de elect. & sic absurdum est in numero eos computare, iuxta Glossam, verbo, que in facto, ante finem. in Clement. Quod circa, de elect. Adde Bursatum, conf. 224. nu. 20. col. 2. Didac. ab Alaba de Concilio, p. 1. cap. 8.

Si autem Episcopus non potest venire ad Concilium, debet se excusare per litteras subscriptas per se ipsum, & excusationis suæ rationem exprimere apud Metropolitanum, & non est necesse apud totum Concilium. Jacobat. de Concilio, lib. 2. art. 4. q. 7. incipit. Rursus quia dictum. fol. mihi 103. Quaranta ubi supra, nu. 6. in principio. Bursat. conf. 107. vol. 1. Didacus ab Alaba d. p. 1. de Concilio, cap. 7. 8. & 9. Quæ autem necessitas excuset? Vide posita ad Glossam, verbo, Necessitatibus, in cap. Pervenit. infra, eodem.

Ibi, Videntur accusare. Agit textus de pena contumacium, de quo vide posita ad cap. Sequens.

In Glossa, verbo, Accusare, ibi, Excommunicare. Ergo si Episcopus monitus non venit ad Concilium, poterit excommunicari, ut per hanc Glossam tradit Quaranta in summa, verbo, Concilium, nu. 7. vers. Octavo.

CAP. Pervenit. VI.

S V M M A R I V M.

- 1 Doctores, qui de textu agunt.
- 2 Episcopi non venientes ad Concilium possunt corrigi.
- 3 Glossa, verbo, Multa, exponitur.
- 4 Presumitur culpa in domino, si eius familiares sunt mali.
- 5 Quæ necessitas excuset non venientes ad Concilium?

Notat Gregorius Lopez part. 1. tit. 5. l. 59. Glosa 6. Quaranta in summa, verbo, Concilium, num. 7.

2 In vers. Qui verò in fine, ibi, Amonitionibus corripit. Ergo Episcopi non venientes ad Concilium possunt corripit, de quo vide posita ad cap. Siquis Episcoporum, infra, eodem.

3 In Glossa, verbo, Multæ, ibi, Præsumuntur præcedentia. Notat cū alijs Tiraq. in l. Si unquam, verbo, Donatione largitus, nu. 205.

4 In eadem Glossa, ibi, Contra Prælatos. Præsumitur enim in dubio culpa in domino, si eius clientes, & familiares sunt mali; tradit Gregor. Lopez. l. 59. tit. 5. part. 1. Glossa 6. ubi huius Glossæ meminit. Rogabis tamen, quo jure ubi clientes, vel servi delinquentes sunt, illorum domini aliquid culpæ contrahant? An subditorum prona ad peccandum nequitia, aliquid detrahat superiorum inculpatæ, ac bene moratæ probitati? Ita quidem Enthymus ad illa verba Regij vatis Psal. 18. nu. 13. Ab alienis parce servo tuo, David de subditorum delictis veniam sibi precantem inducit, quasi Rex ipse subditorum peccatis foret obnoxius. Hinc Diogenes (auctore Plutar. in moralibus, lib. de docenda virtute) videns puerum intemperantius comedentem, collaphum pædagogo impexit, ac si inferioris culpa ad ipsum refundenda esset superiorem. Vide Petrum Blesensem epist. 5. ubi graviter invehitur in Richardum Archiepiscop. Cantuariens. quòd omnia subditorum flagitia ad ipsius desidiã, ac socordiam revocentur. Lege Petrum Damian. lib. 7. epist. 11. & 12. ubi subditorum crimina in dominorum torpore, & negligentia castigat. Recte igitur docet noster textus, ex clientum malitia præsumi culpam in domino.

5 In Glossa, verbo, Necessitatibus. Agit quæ necessitas excuset non venientes ad Concilium; tu resolve non quamlibet necessitatem excusare Episcopum, sed requiri gravem; de quibus excusationum causis vide latè Botteum de Synodo p. 2. sub nu. 56. pro ut illum refert Quaranta, verbo, Concilium, nu. 6. qui huius Glossæ meminit.

C A P. Quoniam. VII.

S Y M M A R I V M.

- 1 Convocatio Concilij ad Metropolitanum spectat.
- 2 Sede Metropolitana vacante, possunt Epis-

copi provincia congregari ad Concilium celebrandum.

- 3 Archiepiscopus quando possit aliquid à Prælati petere?
- 4 Dispositio facta primo privilegio non derogat ei, non facta eius mentione.

Notat Imola in cap. Grave nu. 10. de præbendis; & nota ex textu hanc Concilij provincialis convocationem, ad Metropolitanum spectare; ipse namq. est caput huius congregationis; dicitur autem Concilium provinciale, quia repræsentat Ecclesiam provinciam. Abb in cap. Grave, in fine, de præbend. nu. 14. vel ita appellatur, quia regulariter fit, & congregatur in provincia auctoritate Archiepiscopi Metropolitanæ, qui omnibus Episcopis, Prælati, & clericis provinciam præesse dicitur, ut post Beroum in cap. 1. de judicijs, tradit Quaranta in summ. Bullarij, verbo, Concilium nu. 2.

Adde ex eodem d. nu. 2. Sede Metropolitana vacante, posse Episcopos provinciam se congregare ad Concilium celebrandum, imò capitulum Metropolitanum Sede vacante potest, & debet Synodum congregare singulis annis. Pavinus de potestate capituli p. 1. q. 7. nu. 3. vers. Ex præmissis, qui nostrum textum refert. Botteus de Synodo l. p. in principio, nu. 4. & est ratio, quia is qui potest visitare, potest congregare Concilium cap. Sicut de accusat. & capitulum potest visitare, cap. cum olim de maiorit.

In textu ad finem ibi, Quæ defert Episcopus secum. Gregor. Lopez. part. 1. tit. 22. l. 1. Glossa 2. & l. 13. Gloss. 1. & l. 17. Gloss. 2. optime Quaranta ubi proximè nu. 8. ubi agit quando Archiepiscopus possit, aut non possit aliquid, à Prælati venientibus ad Concilium, petere.

In Glossa 1. post principium, ibi, Priora revocentur. Ergo dispositio contraria primo privilegio, non derogat ei, non facta eius mentione, argumento textus in cap. Veniens de prescriptionibus, tradit Romanus consil. 436. & post illum Felin. in cap. 1. nu. 10. de rescriptis, ubi huius Glossæ meminit.

C A P. De Eulogijs. VIII.

S Y M M A R I V M.

- 1 Leo Quartus quis fuit?
- 2 Doctores qui de textu agunt.

- 3 *Archiepiscopus an possit petere aliquid à Prælatiſ?*
 4 *Eulogia quid ſint?*
 5 *Magiſtri an poſſint petere collectam à ſcholaribus?*

1 **I**N ſuperſcriptione, ibi, Leo Quartus. Vide poſita ad cap. De capitulis diſt. 10.

2 **I**n textu. Notat Præpoſitus in cap. De quibusdam, n. 8. diſt. 37. Quaranta in ſumma Bullarij, verbo, Concilium nu. 8. in fine, & integram epiſtolam Leonis, ex qua textus fuit deſumptus, vide per Baron. tom. 10. annal. anno Chriſti 855. nu. 16.

3 **I**n fine textus ibi, Ultrò delatę. Nota, quòd licet Archiepiſcopus non debeat petere aliquid à Prælatiſ (aliàs tenetur inquaduplum iuxta cap. Quoniam, ſupra eodem, & ibi, notata) ſi tamen illo non petente aliquis de ſuffraganeis Episcopis illi offerret munuſcula, ſeu xenia, non debet illa ſponte oblata reſpuere; Notat optime Quaranta d. verbo, Concilium nu. 8. ad finem.

4 **I**n Gloſſa 1. Agit quid ſint Eulogia; Adde Alexand. Scorum verbo, Eulogium, in fine. Ciceronem ad Atticum lib. 13. incipit Epiſtola de Varrone; vbi interpres; Calium Rodeginum lib. 20. lectionum antiquarum cap. 25. dicuntur verò Eulogia munera quę Prælatiſ offerunt ſubditi, & quę ſacra petentes Concilia, deferunt præſbyteri.

5 **I**n Gloſſa verbo, Minus. Tradit Gloſſ. an magiſtri poſſint petere collectam à ſcholaribus? De quo vide Præpoſitum in cap. De quibusdam nu. 8. diſt. 37. & Gloſſam verbo, pauperes, in cap. Quia nonnulli, de Magiſtris, & quę ibi, notabimus. Vide præterea Bartholomæum Cartagenam in ſua expoſitione lib. 5. tit. 5. obſervat. 3. ubi notat magiſtris non eſſe prohibitum aliquid petere mercedis pro labore docendi, certum enim eſt poſſe magiſtrum exigere collectam à diſcipulis, ſi pro docendi laborioſo munere publicum, & ſufficiens ſalarium non percipiat; neque enim tenetur proprijs ſtipendijs militare. Solùm ergo prohibetur magiſter pro licentia docendi pretium exigere, ut aperte habetur cap. Quoniam eod. tit. & cap. Prohibeas. exactum pretium reſtitui jubetur. Pro magiſtris ſacrę Theologię, vel Metaphyſicę, utrum abſq; limonia poſſint exigere pretium? Vide Leſium de juſt. lib. 2. cap. 35. dub. 13. & ibi. Altifidor. & Alexand. de Ales. De magiſtris verò aliarum facultatum lege Suarium tom. 1. de relig. lib. 4. cap. 8. nu. 17. & 18. & 19. ubi meminit Gloſſam à nobis citatam in cap. 1. De

magiſtris. & pro hac ſententia allegat D. Thom. Richard. Hoſtienſ. Archidia. Angel. Sylveſt. Panormit. Quia omnes nobiſcum conveniunt in ſententia ſuperiori modo explicata.

C A P. Episcopus. IX.

S V M M A R I V M.

- 1 *Imola noſtrum textum citat.*
 2 *Episcopus, qui non poteſt venire ad Concilium, tenetur mittere nuntium.*
 3 *Quid ſi Episcopus ſubeſt duobus Metropolitanis?*

IN textu. Notat Imola, in cap. Grave, num. 20. de præbend.

Ibi, Legatum mittat. Vide Duēnas regula 126. &

collige Episcopum, quando non poteſt venire ad Concilium, teneri mittere nuntium ad recipienda ſtatuta edita in Concilio provinciali, ut per hunc textum notat Quaranta in ſumma verbo, Concilium nu. 6. verſ. 14.

Quid autem ſi Episcopus ſubeſt duobus Metropolitanis, (pro ut dicit Gloſſa in cap. 1. in verbo, vniendo, in fine, ne ſede vacante, argumento textus in cap. 3. de religioſis domibus) & eodem tempore vocetur ab ambobus ad Concilium? Reſpondeo, quòd accedendo ad unum Concilium poteſt mittere procuratorem ad aliud; tradit Quaranta num. 6. ubi proximè, qui in additione dicit, in Regno Neapol. extare aliquos Episcopos, quos ibi commemorat, qui ſubſunt duobus Metropolitanis, ratione duorum Episcoporum unitorum.

C A P. Placuit. X.

S V M M A R I V M.

- 1 *Doctores qui noſtrum textum citant.*
 2 *Senectus excuſat veniēdi ad Concilium.*
 3 *Episcopus debet venire intra terminum aſſignatum.*
 4 *Quid ſit privare à cōmunionem Eccleſiæ?*
 5 *Excommunicatio minor privat aliquādo paſſiva perceptionem Sacramentorum.*
 6 *Gloſſa in præſenti communiter approbatur.*
 7 *Episcopus non veniens ad Concil. poteſt probare impedimentum per unum teſtem.*

Notat

1 Notat Praepositus in cap. Episcopos nu. 4. supra dist. 17. Alciatus de praesumptionibus regula 1. praesumpt. 45. nu. 1.

2 Ibi, Neque aetati. Est enim circa onera sufficiens excusatio senectutis gravitas, & pondus; notat Alciat. de praesumpt. regula 1. praesumpt. 45. nu. 1. qui textum refert, illum etiam citat Tiraq. de iure primogen. in praefat. nu. 211. ad hoc quod seniores a longis itineribus excusantur, & hoc commemorat inter senectutis privilegia.

3 Ibi, Competenter. Ergo si non competenter, & extra terminum assignatum, punietur, ut post Cardin. & alios tenet Duenas regula 271. vers. Amplia decimo.

4 Ad finem ibi, Ab Ecclesiae communicatione. Notat Gregor. Lopez part. 1. tit. 9. l. 5. Glossa ult. vide Ioannem Alenstaig. in suo lexico verbo, communico: Stephanum de Avila 2. p. cap. 6. dist. 9. dub. 10. Suar. de cens. disp. 15. sect. 1. 2. & 3. ubi citat Richard. Palud. Argentin. Sot. Adrian. Navar. Covar. Henriq. lib. 13. de excommunicatione cap. 4. & plures apud illum; qui omnes affirmant, privare a communione Ecclesiae idem esse, ac prohibere excommunicato omnem communicationem in Sacramentis, in orationibus, in contractibus, in habitatione. Quorum singula lege apud citatos autores.

5 In fine ibi, Debent esse contenti. Datur una excommunicatio minor, quae privat passiva perceptione Sacramentorum; alia vero, quae privat communione quorundam fidelium tantum, respectu quorum privat omni communicatione, tam sacra, quam humana. At vero respectu aliorum nulla communione reus privatus est, & consequenter neque usu, & participatione Sacramentorum, cum eam possit ab alijs recipere, vel si sacerdos sit, possit ipsemet rem sacram facere. Notat Suarius de censuris disputat. 24. sect. 1. nu. 2. & seqq. Caterum quavis haec opinio ex ipsis decretorum fontibus eruatur, & multos ex antiquis habeat defensores, praecipue Richard. Ioann. de Ligna. & alios quos refert Suar. iam relatus; contraria tamen sententia, quae asserit unam tantum esse speciem excommunicationis minoris, a praecipua Doctorum parte defenditur. Ita omnes ferme Theologi in 4. d. 18. Navar. cap. 17. nu. 1. & 24. quem citat, & sequitur Suar. loco supra citato num. 1. & idem auctor n. 5. & 6. docte explicat nostram Glossam non esse intelligendam de duplici specie excommunicationis minoris, sed de quadam separatione, & privatione penali, & nu. 7. concludit, unam tantum esse speciem excommunicationis minoris, quae scilicet est privatio communicationis passivae Sacramentorum. Huic opinioni suffragantur Henriq. lib. 13.

cap. 3. Palud. Palac. Maior. Soto. Adrian. Victoria. Caet. Perez, & alij quos allegat. Vide praeterea Aegydius Bellanum disp. 14. dub. 1. & Steph. d' Avila 2. p. dist. 12. dub. 1. ubi citat Gemin. cap. Is cui, de sentent. excommuni. in 6. & Philip. Franc. ibidem.

In Glossa verbo, Comunione. 6
Sequitur Suarius d. 5. tom. de censur. disputat. 24. sect. 15. nu. 5.

In Glossa, verbo, Rationem, 7
ibi, Per unum testem. Ergo Episcopus non veniens ad Concilium, potest probare impedimentum per unum testem, de quo Iacobat. de Concil. lib. 2. art. 4. 5. Rursus quia dictum sol. mihi 103. Adde Glossam in cap. Ex litteris, verbo, Ad plenum, de integritate restitutione.

C A P. Episcopus. II.

S V M M A R I V M.

1 Abbates an debeant venire ad Synodum? & nu. 2.

Agit textus utrum debeant Abbates cogi ad Synodum ire? De quo vide Gregor. Lopez part. 1. tit. 5. l. 11. Glossa ult. qui huius textus meminit, quando etiam Religiosi cogantur venire ad Synodum, vide per Abbat. in cap. Quod super his, de maiorit. post principium, & nu. 1. ad med. ubi Felin. nu. 1. in principio; qui Doctores huius textus meminerunt. Adde textum in cap. Ex ore vers. Porro, ubi Glossa verbo, Ad Synodum, de privilegijs

Quando autem Abbates habent populum, & membra non exempta, non est dubium quod tenentur accedere ad Concilium; si autem ab illorum sententijs immediate ad Sedem Apostolicam appellatur, & non ad Archiepiscopum? Tunc dubitari potest, & videtur dicendum quod sic, iunctis ijs, quae tradit Quaranta d. verbo, Concilium nu. 3. in Additione.

C A P. Siquis autem. XII

S V M M A R I V M.

- 1** Concilium Arelatense 2. quando celebratum?
- 2** Episcopus quando solus cum clericis suis potest procedere?
- 3** Episcopus non potest decedere a Synodo?

IN superscriptione ibi, In Concilio Arclatenfi 2.

De quo vide posita ad cap. Assumi 6.

infra, dist. 28.

2 Vide *Duenas* regula 271. vers. *Amplia* 2. & textum citat *Innocentius* in cap. *Grave*, nu. 51. vers. *Idem fecus*, de *præbendis*, ad hoc, quod quando agitur de crimine, non ad depositionem ab officio, vel ordine, sed amotione ab Ecclesia, quia tunc solus Episcopus cum clericis suis potest procedere.

3 Ibi, crediderint differendum.

Ergo Episcopus qui venit ad Concilium, & decessit illicitiatus, antequam Synodus absolvatur, debet excommunicari, cum paria sint non venire, vel ante obsoletum Concilium recedere; argumento textus in cap. 1. de *iudicijs* ibi, *Atq; discessit*; textus melior in cap. *Certum* 43. ad fin. 11. q. 3. cum contumax dicatur ille, qui illicitiatus recedit. *Decius* in d. cap. 1. nu. 10. in 1. *lectura* de *iudicijs*.

C A P. Si quis Episcopus. XIII.

S Y M M A R I V M.

- 1 Doctores qui textus meminere.
- 2 Rex potest vocare Episcopos ad negotia.
- 3 Episcopi debent venire intra tempus assignatum.
- 4 Episcopus si vocetur à Rege, & à Metropolitano ad Regem debet accedere.
- 5 Doctores qui de Glossa agunt. & nu. 6.

1 **N**Otat *Imola* in cap. *Grave*, nu. 20. de *præbendis*, *Mantua* loco *paralipom.* cap. 26. pag. 2, *Jacobus Gratserus* in *defens.* *Bellarmin.* tom. 2. de *Romano Pontifice* cap. 31. vers. *Obiectum* *Iunius* fol. 815.

2 Ibi, *Regia*. Ergo Rex potest vocare Episcopos ad negotia, de quo vide quod notat *Boerius* *decis.* 17. nu. 1. & an tunc Episcopi, seu canonici debeant fructus lucrari, vide per totam decisionem; & adde quod in Regno *Franciæ* Episcopi solent præstare Regi iuramentum fidelitatis, teste *Rebus.* in *cõcordatis* tit. de *Regia* ad *prælaturas* nominatione, vers. *Vlt.*

3 Ibi, *Diem adesse*. Alioquin etiam si venissent, puniretur, ut per *Duenas* regula 271. vers. *Amplia* 1.

4 In *Glossa*, verbo, *Perceptione*, ibi, *Defertur Regiæ dignitati*. Ergo si Episcopus vocetur à *Metropolitano*,

& à Rege eodem tempore, ad Regem potius Episcopus debet accedere, quod an sit verum? Vide *Decium* *cons.* 72. nu. 4. *Glossam*, verbo, *In legatione*, in cap. *Cum parati*, de *appellationibus*, & quæ ibi notabimus.

In eadem ibi, *Synodali citatione*. vide *Duenas* in regula 171. vers. *Limita*.

In eadem, ibi, *Trina*. *Afflic.* lib. 1. 6 *constit.* *Rubr.*

8. nu. 38.

C A P. Si quis Episcoporum.

XIV.

S Y M M A R I V M.

1 *Pœna Episcopi non venientis ad Synodum*.

Agit textus de pœna Episcopi, qui à *Metropolitano* vocatus ad *Synodum*, contemnit; & dic quod debet privari *communione* aliorum Episcoporum, juxta hunc textum; unde non erit prohibitus celebrare divina officia, & recipere sacramenta *Ecclesiæ*. Si tamen tertio monitus, adhuc persistit in sua contumacia, tunc poterit excommunicari, juxta *Glossam*, verbo, *Accusare*, in cap. *Non oportet*, supra, eadem *dist.* de quo vide fufius *Quarantam* in *summa Bullarij*, verbo, *Concilium*, n. 7, *Jacobus*, de *Concilio*, lib. 2. art. 4. in principio.

C A P. Propter. XV.

S Y M M A R I V M.

- 1 *Trident.* textum innovavit.
- 2 *Ad Metropolitanum spectat electio loci ad celebrandam Synodum*.
- 3 *Exempti an teneantur venire ad Synodum, & habentes beneficia simplicia.* & n. 4.

I*Mol.* in cap. *Grave*, nu. 20. de *præbendis*, & vide *1* *omnino* *Concil. Trident.* sess. 22. de *reformatione*, cap. 2.

Ibi, *Provincias*. Et adde ad *Metropolitanum* spectare electionem loci celebrandæ *Synodi* provincialis; facile tamen, cessantibus impedimentis iustis, & accedentibus comoditatibus necessarijs, *Metropolitanam Ecclesiam* non esse relinquendam,

dam, probavit *Congregatio Concil. Trident. sess. 24. cap. 2. fol. mihi 345.* Insuper decreta, quæ in provincialibus Concilijs conduntur, non debere publicari inconsulto Romano Pontifice. Mittentes igitur ad Sedem Apostolicam diæcesanas Synodos laudandi sunt, & videbis constitutionem Sixti Quinti publicatam anno Domini 1584. die 23. Martij, incipit. *Immensa.*

3 Ibi, Veniunt omnes presbyteri.

Non tamen tenentur venire exempti; neque hi, qui de jure, & consuetudine, interesse non debent; capitula tamen Ecclesiarum cathedralium sunt specialiter inuitanda, & ad observationem decretorum Concilij provincialis omnes sunt obligati, qui Episcoporum jurisdictioni subduntur; exempti etiam in casibus, in quibus de jure communi, & Trid. decretis specialiter Episcopis, aut Concilio provinciali in ipsos potestas tributa est; contra inobedientes autem juris remedijs est procedendum; quod censuit *Congregatio Concilij Trid. fol. mihi 717. sess. 24. cap. 2. de reform.*

4 Habentes beneficia simplicia non obligantur venire ad Synodum Episcopi; insinuat *Ioannes Andr. in cap. Quod super his, de maioritat. probat Abb. ibidem, notabili 1. nu. 1. in principio, Cardin. Opposit. 3. Botteus 2 p. de Synodo nu. 18. Contrarium tenet Pavinus de potest. capituli p. 1. quest. 7. col. 1. An non stante præscriptione, vel consuetudine possit quis non venire ad Concil? Botteum de Synodo 3. p. nu. 40.*

CAP. Annis singulis.

XVI.

S V M M A R I V M.

1 Fratres mendicantes an teneantur venire ad Synodum?

1 **A**D textum. Vide posita ad cap. *Episcopus 2. supra eadem dist.* Adde *Duenas regula 245.* qui late agit de materia. Vtrum autem fratres mendicantes teneantur venire ad Synodum? Vide *Felin. in cap. Quod super his, in principio, de maiorit. & obedientia, & de his Concilijs Synodalibus, vide Francisc. Padilha in Epitome Conciliorum, cap. de Origine Conciliorum, §. de Concilijs, qui textum refert. Adde Trid. sess. 24. de reformat. cap. 2. quod vide.*

CAP. De criminibus. XVII.

S V M M A R I V M.

- 1 Clerici civitatis sunt vocandi ad Concilium.
- 2 Tempus quod habent Episcopi ad publicandas Constitutiones factas in Synodo.
- 3 Excommunicatio an possit proferri ad certum, & determinatum tempus?

1 **N**Otat *Imol. in cap. Grave. nu. 20. de præbend.* ad hoc, quod clerici civitatis, seu diæcesis sunt vocandi ad Concilium.

In textu, ibi, Intra sex mensium

2 **s**patia. Non intelligas legem obligare post duos menses, ut notavimus ad cap. *Lex est, 1. distinct. & probant Menoch. de arbitrar. casu 185. nu. 7. & 420. nu. 27. Sottus lib. 1. de just. q. 1. art. 4. Bart. in l. Omnes populi, a nu. 37. ff. de just. & jure.* Sed intellige textum loqui de tempore, quod datur Episcopis, ad publicandas constitutiones factas in Synodo; ut per *Hostiens. in cap. Cui in cunctis, de concessione præbend. Morlam in Empor juris, q. 5. n. 3. sub tit. de legibus.* Adde tamen, quod licet lex incipiat ligare post duos menses, si tamen ante ipsorum lapsum ad aliquorum perveniat notitiam, statim ligat; *Glossa in cap. 2. verbo, Hactenus, de rebus Eccles. lib. 6. Bart. in l. Omnes populi, num. 37. in 5. q. ff. de just. Ripa in rubric. de Const. nu. 47. Menoch. de arbitrar. casu 185. nu. 14.* facit textus in cap. 1. *De postulatione prælatorum, & vide Morlam, ubi supra, cum quo ampliabis, & limitabis; & posita ad cap. In istis. nu. 3. & 4. supra, dist. 4.*

In vers. Quid si quispiam, ibi,

3 **D**uorum mensium. Probat ergo textus excommunicationem proferri posse ad certum, & determinatum tempus, contra resoluta per D. D. *Glossa Vlt. hic comuniter sequuta in præsentis, & Henric. lib. 13. summa, cap. 38. §. 3. littera C. & littera L.* Existimant textum loqui de suspensione; sed violant litteram textus, quia aliud est suspensio, aliud excommunicatio, cap. *Querenti, de verborum significatione, alij solvunt textum esse intelligendum de excommunicatione lato modo, sumpta pro ut importat separationem à quavis comunione, pro ut accipitur à Glossa, verbo; Sententia, in cap. Ad mensam 11. q. 3. & definitur ab Anania, in rubric. de clerico excommunicato, nu. 4. Sed adhuc repugnant verba textus. Attamen facilius solves, si dicas textum loqui de excommunicatione minori, quæ potest ferri ad certum tempus, ex *Sylvestr. verbo, Excommunicatio 4. nu. 2. in fine.**

Divo Anton. in tract. de excommunicatione, cap. 79. nu. 21. Nec obstat, quod appellatione excommunicationis simpliciter, maior est intelligenda, cap. Penult. de sententia excommunicationis. Respondetur textum illum non procedere ubi ex materia subjecta, vel de contraria mente disponētis constat, juxta regulam, l. Non aliter, in principio. ff. leg. 3. de qua re latē Covar. in cap. Alma. 1. p. 8. nu. 5.

DISTINCTIO. XIX.

S Y M M A R I V M.

1 Si aliquid, ut authenticum observatur, ut tale est tenendum.

1 **I**N principio distinctionis, in Glossa de Epistolis in fine, ibi, Illa tenenda est. Ergo si aliquid, ut authenticum observatur, ut tale est tenendum; ut per Aymon de antiquitate, p. 1. cap. 9. nu. 37. fol. 89.

C A P. Si Romanorum. I.

S Y M M A R I V M.

1 Epistole decretales, quam auctoritatem habeant, & quae dicebantur? nu. 2.

3 Qui dicit, omnia, nihil excludit.

4 Absurdum est alijs bene facere, & non sibi.

5 Privilegium, vel rescriptum si faciat mentionem de alio, ei creditur. Contrarium est in instrumento.

6 Papa confirmans privilegia alicuius Ecclesiae, quavis alia privilegia aliter nova appareant, valet privilegium.

1 **M** Eminit huius textus Praepositus, in cap. Sit Sancta, nu. 1. supra, dist. 12. & illum citat Paramus de origine Inquisit. lib. 3. q. 3. n. 87. ad hoc, quod ad Sedem Apostolicam pertinet definire, an liber sit Canonicus; & agit textus de Epistolis decretalibus, de quibus videndus est Abb. in proemio Gregoriano nu. 5. Castrus adversus haereses lib. 1. cap. 2. post med. vers. Post Concilionam. Covar. 4. var. cap. 16. nu. 6. Turrian. de Canon. Apostol. lib. 1. cap. 16. vers. Sic Asli. Possavin. in apparatu sacro, tom. 1. fol. 123. & vide

posita ad cap. In Canonicis 6. hac eadem dist. & in principio 20. dist.

Epistolae vero decretales illae dicebantur, quibus Romani Pontifices ad diversorum consultationes respondere solebant, & quae servandum, vitandumque esset, edicebant. Pastorales vero epistolae appellabantur, quae pro instructione dabantur; quales sunt illae, quae ad diversas Ecclesias a sancto Ignatio scriptae habentur tradit utrumque Baron. 10m. 2. Annal. anno Christi 142. nu. 9.

Post medium textus ibi, Dico vero omnia. Ergo qui dicit omnia nihil excludit, ut ex hoc textu notat Gregorius Lopez, tit. 2. l. 2. Glossa 5. ad medium, ubi alia jura cumulat; eadem etiam conclusionem transcripsit Abb. in cap. vlt. nu. 15. in fin. de prescriptionibus, vide l. Iulianus delegat. 3. l. 1. de legat. 1. Surd. decis. 150. nu. 6.

In Glossa verbo, Quanto. collige absurdum esse alijs benefacere, & non sibi, unde illud Comici. Omnes sibi esse melius malle, quam alteri. Tradit plura Decian. Tractat. crimin. lib. 9. cap. 1. nu. 17. qui Glossae meminit. Nam vir prudens ad duo se obligatum agnoscit, primo, ut sibi consulat, deinde alijs; unde Bernard. serm. 18. in Cantic. Si sapias choncam te exhibebis, & non canalem hic siquidem penè simul et recipit, et refundit; illa vero donec impleatur expectat, & sic quod superabundat sine suo damno communicat, sciens maledictum, qui partem suam facit deteriozem. Secunda obligatio est circa alios, hinc Cato ille Uticensis apud Lucanum dicebat virum probum, & amantem patriae.

Non sibi, sed toti genitum se credere mundo.

In Glossa verbo, desunt ibi, In privilegijs suis. Nota ex Glossa quod privilegium, vel rescriptum Principis faciens mentionem de alio, ei creditur; licet illud non producat; ut ex ea notavit Iason in l. More, nu. 35. ff. de iurisdic. omn. judic. extollit Gomes ad leges Tauri, l. 1. nu. 11. post principium; dicit singularem Boerius decis. 247. nu. 3. & seqq. & est ratio quia, si una in lege, aut decretali, fiat mentio de alia, statur illi, quantumcumque de alia lege, aut decretali non appareat. Non sic dicas in instrumento, quia instrumentum publicum faciens mentionem de alio instrumento, non facit fidem, nisi illud exhibeatur. Authent. siquis in aliquo instrumento C. de edendo. tradit idem Boerius d. nu. 3. in principio.

In Glossa verbo, Diversis. Dicit optimam Iason. in repetit. l. Admonendi, nu. 28. C. de iure jur. ad hoc, quod si Papa confirmat privilegia exemp-

exemptionis in specie alicui Ecclesie, quanvis alia privilegia aliter non appareant, valet confirmatio; de qua materia videbis late Zabarelam consil. 118. incipit Monasterium sancti Iuliani,

C A P. Sic omnes. II.

S Y M M A R I V M.

- 1 Agatho Papa quis fuerit?
- 2 Sanctiones Apostolica Sedis sunt observanda.

I N superscriptione, ibi, Agatho Papa.

Fuit natione Siculus, Patre Pannio, monachus ordinis sancti Aquitij, creatus Pontifex Imperatore Constantino 5. anno Domini 678. sedit annos 3. menses 6. Vir tantæ sanctitatis, ut leprosum obviam factum osculo suo statim liberaverit. Tantæ præterea mansuetudinis, & humanitatis fuit, ut neminem à se unquam tristem dimiserit. Anno 680. Luna, Iunio mense, ruborem suum mirabili obscuritate fœdavit; mense autem Iulio, Augusto, Septembre Romam adeo gravis pestilentia est adorta, ut frequentatis funeribus libitina non sufficeret; & multi Cacodæmon venabulo domorum ostia ferentem se animadvertisse affirmarent. Vide Platinam in vita Agathonis; fusé Chacon de gestis Pontificum, sub eodem Agathone 2. fol. 692. fusius Baronius tom. 8. annalium, anno Christi 678. & 679.

- 2 Ad textum. Nota in textu, quod omnes sanctiones Apostolicæ Sedis sunt observanda; quia Papa in tangentibus fidem, & mores, errare nequit. Covarr. ex alijs, lib. 1. resolut. cap. 10. nu. 12. Divus Thom. & Caietan. 2. 2. q. 1. art. 10. & q. 11. art. 2. ad 3. Alphonsus à Castr. de justa hereticorum punitione, lib. 1. cap. 4. vers. Quarta via est, & hunc textum refert optimè Suar. de legibus, lib. 4. cap. 3. nu. 11. de Ecclesia Romana auctoritate. Canus de locis theologicis, lib. 6. cap. 1.

C A P. In memoriam. III.

S Y M M A R I V M.

- 1 Doctores qui textus meminere?
- 2 Lex injusta si transgressione illius immi-

neat scandalum, non debet violari, quod tamen temperandum est. nu. 3.

- 4 Mantua nostrum textum intelligit.
- 5 Iugum Pontificis ferendum est.
- 6 Litteræ quibus modis dicantur falsa. & num. 7. & sequentibus.

Nota Præpositus in cap. Certum, nu. 3. supra distinct. 10. & formalia verba nostri textus refert Baronius tom. 9. annalium, anno Christi 801. nu. 10. & nu. sequenti. Caroli Magni erga Sedem Apostolicam reverentiam, animiq; submissionem erga Romanum Pontificem maximè extollit.

Ibi, Vt licet vix ferendum. Er-² go

licet lex injusta non obliget in conscientia, ut tradit Divus Thom. 1. 2. q. 96. art. 4. in corpore, si tamen in transgressione illius immineret scandalum, ut quia apud alios transgressio illa male audiretur, vel aliàs perturbaretur Respub. peccaret subditus tali legi non parens, ut limitat Divus Thom. ubi supra, in corpore, ad finem, propter regulam in materia scandali celebratissimam, præscriptam in cap. 2. ibi, ab his tamen de novi operis nuntiatione; probat in specie textus noster sic intelligendus.

Hæc tamen doctrina temperanda est, procedere dummodo legis injustitia insurgat ex solo subditorum præjudicio; alioquin si injustitia insurgat ex repugnantia ad legem divinam, seu naturalem, transgressor nullam contrahit culpam, quantumcumq; scandalum immineat; observat in specie Divus Thom. ubi proxime. Soto lib. 1. de just. quæst. 6. art. 4. in secunda conclusione. Innocent. in cap. Inquisitioni, nu. 3. de sententia excommunicationis, receptus ex Felin. in cap. Accipimus, num. 3. de fide instrumentorum.

Ibi, Autem in aliam detrudat⁴ custodiam. Adde quæ eleganter tradit Mantua Dialogo 12. vers. Multa, & Dialogo 39. vers. Debetq; intelligi.

In Glossa 1. Notat Felin. ad hoc, quod licet iugum Pontificis videatur durum, ferendum est.

In Glossa, verbo, Falsam, post⁶ principiū, ibi, Quæ non fuit verè præsens. Agit Glossa, quibus modis litteræ dicantur falsæ, de quo Felin. in cap. Tertio loco, num. 1. de probationibus, qui Glossæ meminit. Tu prosequere, ut infra numeris sequentibus.

7 In Glossa eadem, ibi, Dicto, vel tacito. Docet Glossa, quod impetrans rescriptum, in quo per malitiam verum aliquid suppressit, aut falsum expressit, esse invalidum; ut probat *cap. Super litteris de rescriptis*, ubi, Glossa 1. & D.D. Glossa 2. post med. in *cap. Significanibus* 38. de officio delegati. Bart. nu. 3. & 4. Paulus, & communis, ubi *las. à nu. 22. in l. Prescriptione. C. Si contra ius*; disputat latissime Sanches de matrimonio, lib. 8. disput. 21. à nu. 10. Quæ doctrina procedit non solum ex ea parte litterarum, in qua verum suppressum, vel falsum aliquid expressum fuit; verum etiam ex omnibus alijs etiam separatis, in quibus neutrum intervenit, siquidem indistincte corrumpunt litteræ, ut notant *Dec. in d. cap. Super litteris*, in principio. *Abb. notab. 1. Card. nu. 4. Sicul. 25. Robuf. tom. 2. ad leges Gallia, sub tit. de rescript. nu. 110. Peres ad l. 1. tit. 12. lib. 3. ordinam. de quo etiam uberrime Sanches d. disput. 21. à nu. 53. & sequentibus. An autem procedat quando subreptio per ignorantiam, vel simplicitatem committitur? Vide per eosdem, & Glossam in *cap. Vlt. verbo, Accedens, de crimine falsi, Sanches d. disput. 21. nu. 14. Vtrum doctrina procedat tam in litteris iustitiæ, quàm in litteris gratiæ? Vide eundem Sanches nu. 54.**

8 In eadem, ibi, Si charta apparet rasa, vel immutata. Igitur per abrasionem, & cancellationem redduntur scripturæ, & litteræ falsæ, ut notant omnes per textum ibi, in *cap. Ex litteris de fide instrum. Hostiens. in summa de crimine falsi, nu. 3. Marian. Socin. in cap. Fin. nu. 8. de crimine falsi*, quod ampliatur etiam si rasura sit modica, nempe unius syllabæ, aut litteræ. *Bajard. ad Clarum, §. Falsum, nu. 275. Glossa, & D.D. communiter in cap. Fin. de crimine falsi*, quod intelligo, si per talem abrasionem litteræ, vel syllabæ, mutaretur sensus, vel substantia verborum, ut tradit *Ioann. Andr. in cap. Inter dilectos, nu. 11. de fide instrum. Farinac. d. q. 151. nu. 44. An hoc procedat quando abrasio est, non solum in dispositione juris, sed etiam facti, vel quâdo abrasio reperitur in loco non suspecto? Vide *Afflic. decis. 404. late Farinac. nu. 46. 47. & seqq.**

9 Ibi, Alieno sigillo. Dicuntur etiam litteræ falsæ, si alieno sigillo signantur; *cap. Inter dilectos de fide instrum. Speculator lib. 2. in tit. de instrum. edit. §. Postremo, nu. 19. & 20. ubi ponit plures casus, in quibus arguitur falsitas in sigillo Bajard. ad Clarum, §. Falsum, nu. 210. plures congerit Farinac. de falsitate, q. 150. nu. 56. ubi quod sigillum alienum dolose effingens, punitur pœna manus. Quod tamen limitabis nisi in fabricatione si-*

gilli intervenerit ignorantia; multa etiam ad excusationem alieni sigilli, vide per eundem *Farinac. à nu. 66.*

Ibi, Propter falsam Grammaticam. Ergo falsa latinatas in litteris Apostolicis arguit falsitatem, & vitiat rescriptum in totum, *cap. Ad audientiam de rescriptis*, ubi D.D. Glossa, verbo, *Falsitatis*, in *cap. Licet de crimine falsi. Rebuf. ad leges Gallia, 2. tom. in præfat. tit. de rescriptis, nu. 175. Menoch. de præsumpt. lib. 5. præsumpt. 28. nu. 26. Farinac. de falsitate, q. 153. nu. 151. quod habet locum in omnibus litteris tam gratiæ, quàm iustitiæ, ut observat Glossa, & D.D. in d. cap. Ad audientiam, communis ex Abbate nu. 3. *Betrand. conf. 112. lib. 2. quidquid alij distinguant. Adverte tamen, quia error in littera, aut syllaba, non vitiat secundum plures, quos sequitur idem Farinac. nu. 154. probat cap. ex parte, de fide instrum.**

Ibi, Atramenti mutatio. Excipit Glossa illam esse præsumptionem falsitatis, quæ ex diversitate atramenti colligitur, contrarium dixit *Rimus conf. 68. nu. 5. lib. 4. Paris. conf. 28. nu. 12. lib. 2. Caphal. conf. 287. nu. 27. licet talis diversitas dicatur levis præsumptio, quando tamen dicatur levis, quando probabilis, arbitrio iudicis relinquitur, ut per Menoch. de arbitrarij lib. 2. casu 187. nu. 36. & 38. Farinac. q. 153. à nu. 155. qui perperam Glossam nostram in diversum torquet sensum. Circa alias falsitatis præsumptiones, quas Glossa cumulat, ultra præcitatatos D.D. vide *Felici. in cap. Tertio loco, nu. 1. de probat. & quibus moris Bullæ Apostolicæ dicantur falsificatæ. Hostiens. in summa de crimine falsi, nu. 3. Farinac. d. q. 151. nu. 37. Glossa, verbo, Falsitatis, in cap. Licet de crimine falsi.**

In eadem Glossa, ibi, Falsarius deponitur. Tu resolve, quod falsificans litteras Papæ excommunicationem incurrit, & omnibus beneficijs ipso jure privatur, & degradatus traditur Curiæ sæculari; textus in *cap. Ad falsariorum, vers. Statuentes, & vers. Nos enim. de crimine falsi*, ubi communiter D.D. *Afflic. decis. 21. nu. 2. Bernard. in præf. cap. 117. ubi etiam Zalsedo littera A. tradit practicum. Clar. in præf. §. Falsum, nu. 24. Petr. Gregor. Syntagmat. juris, lib. 36. cap. 5. nu. 8. quam plurimos congerit Farinac. de falsitate, quæst. 151. nu. 11. & nu. 7. Hæc pœna licet quoad excommunicationem extendatur etiam ad mandantes, & factores, tamen quoad pœnam degradationis non extenditur; quæ opinio licet ab omnibus deserta sit, mihi tamen verior apparet, & eam videtur tenere *Farinac. nu. 11. quia textus in eodem cap. Ad falsariorum, vers. Statuentes, dum pœnam degradationis fulminat, eam ad facientes tantum**

tum restringit, non enim dixit, *qui per se, vel per alios*, ut dixerat in vers. præcedenti, in quo pœnam excommunicationis posuerat. An conclusio procedat, si falsificans non est usus litteris, vide *Farinac. nu. 25.* & an procedat in falsificante litteras non Papæ, sed alterius Principis à nu. 15. & an procedat in litteris Prælatorum à nu. 60. & sequentibus.

C A P. Enim vero. IV.

S V M M A R I V M.

- 1 *Stephanus quintus quis fuerit?*
- 2 *Quidquid Romana Ecclesia statuit, est observandum.*

IN superscriptione, ibi, Stephanus. Qui fuit nomine quintus, ut tradit *Turrecremat. in presenti.* Fuit autem Stephanus Romanus, Basilus ante vocatus, Adriani filius, creatus Pontifex anno Domini 885. Imperatoribus Carolo 3. & Arnulpho Augustis; sedit annos 6. dies 9. Tam disertè, & appositè scripsit, ut nullum videatur decretum Pontificis, quod illo gravius, aut pondere sententiarum plenius censi possit, ut tradit *Alphonsus Chacon in gestis Pontificum, in vita ipsius Stephani, fol. 253.*

- 2 **Ad textum.** Dicit quod quidquid Romana Ecclesia statuit, ab omnibus observandum est, de quo vide posita ad cap. *Sic omnes, supra eadem dist.* Adde *Param, de origine Inquisitionis, lib. 3. q. 3. nu. 88.*

C A P. Nulli. V.

S V M M A R I V M.

- 1 *Gregorius Pontifex quis fuerit?*
- 2 *Pœnam nostri textus, qui dicantur incurrere?*
- 3 *Vassallus potest recedere à domino non servante leges Imperatorum.*
- 4 *Crimen quando debeat augeri?*
- 5 *Transgrediens præcepta Pontificis, an dicatur hæreticus.*

IN superscriptione, ibi, Gregorius. Vide posita ad cap. *Præceptis, 12. distinctione.*

In textu. Quinam huius capitis pœnam incurrere dicantur, vide per *Sylvestr. verbo, Excommunicatio 9. nu. 29.* Adde *Bebus. conf. 194. pag. 4. vers. Ad hæc. Navarr. in Manuali, cap. 27. nu. 117. vers. Octavo,* & textus originem integram vide per *Baron. tom. 9. annal. anno Christi 839. nu. 6. optimè Suarium de censuris, disp. 22. sect. 1. nu. 1.* qui ceniet hanc censuram nostri textus non esse ipso jure latam, sed ferendam; neq; esse propter hæresim, sed propter inobedientiam Ecclesiæ; nec deniq; esse reservatam Papæ, sed cõmunem; licet *Navarr. contrarium doceat supra citato loco.*

Ibi, A sancto ministerio. dicit singularem *Romanus singul. 494. ad hoc, quod vassallus possit recedere à domino non servante leges Imperatorum?*

In Glossa, verbo, Maioris. Vide *Tiraq. de nobilit. cap. 20. nu. 117.* qui per hanc Glossam, & alia jura, controvertit, quando debeat crimen augeri nobilitate, aut dignitate alia.

In Glossa, verbo, Prostratus, 5 vers. Sed intelligas. Et ita licet sit hæreticus, qui dicit non esse Romanam Ecclesiam caput, non tamen est hæreticus, si transgredatur præcepta Pontificis; sequitur *Gregor. Lopez part. 1. tit. 9. l. 2. Glossa 4.* nisi tamen præceptum contineat fidem.

C A P. In Canonicis. VI.

S V M M A R I V M.

- 1 *Canonica scriptura que dicantur?*
- 2 *Gratianus defenditur.*
- 3 *Communis opinio est sequenda.*
- 4 *Quod à pluribus recipitur, maior est auctoritatis.*

IN textu ibi, In canonicis scripturis. Tenet Gratianus ex Augustino, epistolæ decretales inter scripturas canonicas esse connumerandas, quem valde reprehendit *Castr. lib. 1. adversus hæreses, cap. 2. col. 10. vers. Quod si forte,* ubi dicit Gratian. male intellexisse, perperamq; ac corruptè litteram Augustini citavisse; sequitur *Peña ad Directorium, p. 1. comment. 19. littera F. Navarr. in cap. Novit, notab. 3. nu. 44. de judic. Gratianum tamen defendit Covarr. lib. 4. variar. cap. 16. vers. Item decretales epistola.* Adde *Possevinum in apparatu sacro,*

verbo, Gratianus, vers. Præterea, fol. 560. & posita ad cap. Si Romanorum, hac eadem dist. & ad principium distinct. 20.

2 Potest etiam Gratianus defendi, si dicamus illum non voluisse dicere decreta Pontificum esse proprie scripturas sacras, & canonicas, ut sunt Evangelia, vel psalmi; sed esse scripturas sacras, ut distinguantur à prophanis; & canonicas, ut distinguantur à sacris scriptis Patrum, quæ non sunt regulæ, nec habent authoritatem obligandi; licet enim Canones Pontificum, & Conciliorum distinguantur, & postponantur scripturæ divinæ, tamen suo modo sunt, & dici possunt, scriptura sacra, & canonica, eo modo quo septima Synodus actione 3. vocat decreta Conciliorum divinitus inspiratas constitutiones. Imò Innocent. cap. Cum Martha, de celebratione missarum, vocat scripturam sacram sententiam illam Augustini: Injuriam facit martyri, qui orat pro martyre. sermone 17. de verbis Apostolicis. Ita optime Bellarm. lib. 2. de Concilijs, cap. 2. vers. Dico 2.

3 Ibi, Quæ ab omnibus. Et sic opinio cõmunis est sequenda, de quo per Abb. in cap. Prudentiam, nu. 4. de officio delegati, & in cap. 1. nu. 15. de Const. Romanum, cons. 61. nu. 2. Mascard. de probat. vol. 3. conclus. 1138. nu. 1. & an hoc etiam habeat locum, quando communis opinio esset falsa; vide per eundem nu. 3. & tradit Abb. in d. cap. 1. nu. 15. & est ad hoc textus in l. 1. vers. Sed neque, Cod. de veteri jure enucleando, & circa alias limitationes, vide Mascard. supra citato loco, nu. sequenti; plura etiam congerit Cassan. in consuetud. Burgund. in præmio, Glossa, verbo, En tres grand nombre, in principio, fol. 40.

4 In Glossa, verbo, Præponat, ibi, Maioris est authoritatis. Et ita quod à pluribus recipitur, maioris est authoritatis, quàm quod à paucioribus. Adde textum in l. Athletas, ibi, & generaliter omnes opinantur, ff. qui natiuntur infamia. Alciatus de præsumpt. reg. 1. præsumpt. 51. post principium.

CAP. Ita Dominus. VII.

S Y M M A R I V M.

- 1 Leo primus quis fuerit?
- 2 Potestas concessa Petro excessit potestate aliorum Apostolorum.
- 3 Prælati non potest de subdito alterius cognoscere.
- 4 Dueñas nostrum textum intelligit.

5 Dicta antiquorum servanda sunt.

6 Doctores, qui de textu mentionem fecerunt.

IN superscriptione, ibi, Leo Primus. Vide posita ad cap. Hoc vestra, distinct. 11.

In textu. Collige ex textu, quod potestas concessa Petro, in duobus maximè excessit potestatem aliorum Apostolorum. Primo, quia Petri potestas etiam se extendebat supra ipsos Apostolos. Secundo, excellebat in hoc, quod erat ordinaria in universum orbem. Unde factum est, ut successores Petri successerint in universa potestate respectu omnium ovium Christi, quam potestatem, & principatum ex eo præcise habent, quod sint Petri successores, Christi Vicarij, ut optime colligit Tallada de carceribus, cap. 6. nu. 9. Valerius Reginald. in praxi, lib. 1. sect. 1. nu. 21. 22. 23. & 24. Potestas verò Episcoporum, qui sunt successores Apostolorum, à Petro, & successoribus Romanis Pontificibus, est derivata. Ita quod successor Petri est immediatè Vicarius Christi, & à Christo accepit potestatem, sed successores Apostolorum, nec susceperunt potestatem ab ipsis Apostolis, nec à Christo immediatè, sed immediatè à Romano Pontifice; & ita textum nostrum intelligunt Caet. de authoritate Papa, cap. 1. & seqq. Victoria de clavibus, nu. 5. Gregor. Lopez part. 1. tit. 5. l. 4. Glossa 3. qui alia jura cumulat, & ante illos tenuit Abb. in cap. Significasti 4. nu. 3. de elect. Lege Suar. in defens. fidei, lib. 3. de primatu Summi Pontific. cap. 11. nu. 12. & lib. 4. de immunitat. Eccles. cap. 5. nu. 11. & 12. & Paulum de Palacio in cap. 16. Matth.

Ibi, In corpus. Notat Paz in praxi, tom. 2. præludio 1. nu. 2. ad hoc, quod unus Prælati non potest de subdito Prælati alterius cognoscere.

Ibi, Ministerij divini. Adde quod tradit Dueñas in regula 72. num. 4. vers. Fin.

In fine textus, ibi, Accepit à veteribus. Et ita consuetudines, & dicta antiquorum servanda sunt, tradit Tiracquel. de jure primogen. in præfat. nu. 189. ubi huius textus meminit, & de retractu lign. §. 9. Glossa 2. num. 52.

In §. Hoc autem. Vide Carum de locis theologis. lib. 6. cap. 1. in fin. Posevin. in apparatu sacro, tom. 1. verbo, Gratianus, fol. 560. vers. de Gratiano autem.

CAP. Secundum. VIII.

S V M M A R I V M.

- 1 Anastasius secundus quis fuerit?
- 2 Anastasius Imperator quis fuerit?
- 4 Doctores qui textus meminere.
- 4 Trident. textum innovavit.
- 5 Vbi agitur de periculo anime, non est facile credendum.
- 6 Persona, quæ predicare possint?

IN superscriptione, ibi, Anastasius secundus. Fuit patria Romanus, ex Fortunato, seu Petro genitus, in regione quinta, Caputtari cognominata. Eius temporis Vandalorum Rex Trasimundus, & catholicas Ecclesias clausit, & centum, ac viginti Episcopos exulatum in Sardiniam misit. Fuit Anastasius creatus Pontifex anno Domini 496. Vide *Pauvinum de vitis Pontificum, in vita Anastasij secundi, anno Domini 496. Platinam in eodem Anastasio, Baron. tom. 6. annal. anno Christi 497. Adde posita ad cap. Sequens.*

In eadem superscriptione, ibi, Ad Anastasium Augustum. Habuit Anastasius patriam Epidamnum; Imperator creatus conatu Ariadne Imperatricis, anno Domini 491. Obijt anno Domini 518. Cum tonitrua horrendum in modum mugirent, & fulgura multa eliderentur, atq; ipse Anastasius perterritus, e cœnaculo in cœnaculum descenderet, in quodam Regio cubiculo mortuus est inventus, fulmine ictus. Vir, qui Orientem penitus exiit fide catholica, quiq; viros sanctissimos in exilium relegavit, & gladijs armavit hæreticos in Orthodoxos; sub cuius imperio inundaverunt flagitia. Fuit dies percussioneis eius Nonæ Julij, cum regnasset annos viginti septem. Vide *Evagrium, lib. 3. cap. Vlt. Baron. tom. 6. annal. anno Christi 518.*

Ad textum. Vide *Covarr. variar. lib. 4. cap. 13. vers. Deinde, & vers. Sed & quod, Alphonsum Chancon de gestis Pontificum, in vita Anastasij, fol. 137. vers. & Albertum Pighium, qui hunc textum refert. Optimè Baronius tom. 6. annalium, anno Christi 497. nu. 2. ubi refert hanc integram Anastasij Pontificis epistolam.*

Ibi, Per iniquum tradita. **I**nno-

vavit **4**
Concil. Trident. sess. 14. cap. 6. ad medium. Adde Gregorium Lopez part. 1. tit. 17. l. 11. Glossa 7.

In vers. Adeo, ibi, Vel qualis præcedit. **5**
Tiraq. de penis, causa 51. num. 16. qui textum refert ad hoc, quod ubi agitur de periculo anime, non est facile credendum viris, etsi alias sanctitate polleant.

In Glossa, verbo, Vel qualis. **6**
 Agit Glossa, quæ personæ predicare possint. Adde *Felin. in cap. Excommunicamus, nu. 3. in fine, de hæreticis, post Archidiaconum, & Ioannem Andr. qui dicit, quod predicare, & dare licentiam predicandi alij religioso, potest quilibet sacerdos in sua parochia, quod tamen non est usitatum apud omnes diœceses, sed generalem licentiam dat solus Episcopus.*

CAP. Anastasius. IX.

S V M M A R I V M.

- 1 Anastasius percussus, quia volebat revocare Achacium.
- 2 Gratianus defenditur.
- 3 Synodus generalis, an sit maior Pontifice? & nu. 4. 5 & 6.
- 7 Glossa interpretatur.

AD textum. Collige ex textu Anastasium Pontificem nutu divino esse percussum, quia volebat occultè revocare Achacium hæreticum, ut ait *Gratianus* in præsentem, quem sequuntur *Platina in vita ipsius Anastasij. Volaterranus, lib. 22. Sed Albertus Pighius, lib. 4. de ecclesiastica Hierarchia, cap. 8. multam adversus Gratianum excandescit in iram, pio quidem animo comprobatur Covarr. lib. 4. variar. cap. 13. per totum. Melchior Can. de locis theologicis, lib. 6. cap. 1. vers. Nono, tradit alios Cenod. ad decretales, collectan. 16. in principio, & ultra illos Bellarminus lib. 4. de Romano Pontifice, vers. Decimo nono. Morla in Emporio juris, tit. de legibus, q. 3. nu. 3. Suarez de legib. lib. 4. cap. 3. nu. 15. quorum opinio verissima est.*

Gratianum tamen excusandum censeo, qui **2**
 historiam hanc non approbavit, sed dixit apud authores legi, tamq; transcripsit ex Authore Pontificali, ut tradunt *Bellarminus & Suarez, ubi*

proximè. Cæterum si contentiosè quis asserere velit, Anastasium propensorem fuisse in restituendo Achacij nomine, sed morte præventum id præstare minime valuisse, in hoc erit, quod magis admiremur Dei providentiam erga Romanam Ecclesiam, cum titubantem Apostolicæ Sedis præsidem, ex humanis ante subduxerit, quam quod meditaretur, impleret. Ita Baron. tom. 6. annal. anno Christi 497. in fin.

3 In Glossa, verbo, Concilium.

Nota ex Glossa, quod Synodus generalis est maior Papa sequitur Abb. in cap. Significasti, nu. 3. de elect. ubi, Decius, nu. 7. qui alios refert, idem docet Abulens. in cap. 18. Matthei, q. 108. Roman. in tribus Consilijs ultimis. Gerson, Almain. & alij, quos referunt Jacobat. de Concl. lib. 10. art. 7. fol. 665. Bellarm. lib. 2. de Conciliorum autoritate, cap. 14. in principio. Vnde plures doctores tam Theologi, quam Iuristæ tempore Eugenij 4. tenuerunt pro Concilio Basiliensi dicentes, quod Concilium illud esset maius Papa. Inter quos Abbas in quodam consilio, quod iusta ratione fuit prohibitum, multa impertinentia scripsit, & pariter Romanus, qui cum eodem Abbate erat advocatus in eodem Concilio, & Pius secundus, qui pariter tunc in minoribus constitutus erat in civitate Basileæ, qui postea assumptus ad Pontificatum, bullam edidit anno 1463. retractationem fecit, de quo vide latè Tuschum, tom. 2. conclus. 552. nu. 11. & seqq.

4 Contraria tamen opinio, scilicet quod Papa sit supra Concilium, videtur esse communis, ex Alberto, D. Thom. Bonaventura, Richard. & alijs in 4. dist. 29. cum de clavibus agunt, expressit. D. Antonin. 3. p. tit. 22. cap. 10. §. 4. summa historial. Turcrem in summ. lib. 2. cap. 93. & 104. Pelagius de planctu Ecclesie, lib. 1. art. 6. Jacobat. de Concl. lib. 10. q. 7. à fol. 660. qui fufius quæstionem disputat, & solvit sexaginta tria argumenta adversariorum. Caiet. in tract. de comparatione Papa, & Conciliorum, cap. 7. plures sequitur Bellarmin. d. lib. 2. de Conciliorum autoritate, cap. 14. in fine. & cap. 17. comprobat latè Tuschus tom. 2. conclus. 552. ubi hoc deducit ex jure divino naturali, & Canonico.

5 Quæ opinio verissima, & amplectenda est, ut probatur ex Concilio Lateranensi sub Leone 10. sess. 11. in qua disertè, & ex professo docetur Pontificem esse supra omnia Concilia, ibi. Solum Romanum Pontificem, tanquam super omnia Concilia autoritatem habentem Conciliorum indicendam, transferendorum, plenum ius, & potestatem habere. Faciunt multa jura docentia primam Sedem à nemine judicari. Probatur etiam ratione, quia confirmare est propriam superioris. l. Fin. C. de legibus, l. Non ambigitur, ff. eodem. Papa autem confirmat gesta Conciliorum, non autem Concilium gesta Pontificis, ut probant jura, quæ re-

tulit Jacobat. d. art. 7. à fol. 660. & deducitur ex cap. Cuncta per mundum, & ex cap. ipsi sunt. 9. q. 3.

6 Vtrum autem Pontifex cum sit supra Concilium, possit tamen se Concilio subjicere? Videbis posita ad cap. In Synodo, dist. 63. Bellarm. lib. 2. de Conciliorum autoritate, cap. 14. veri. Secunda opinio, & cap. 18. Turcremat. in summ. lib. 2. cap. 104. Vtrum Concilium sit supra Papam quando esset schisma inter duos, vel plures contententes de Papatu? Vide posita ad cap. Si duo, 79. dist. Tusch. d. tom. 2. concl. 552. nu. 25.

In Glossa, verbo, Qui cõmunicaverat, ibi, In tertiam personam.

Similis Glossa, in cap. Cum causam de appellat. ubi, Panormitanus, nu. 11. qui latè agit, quando excommunicatio transit in tertiam personam.

C A P. Propter. V.

S V M M A R I V M.

- 1 Maximus Episcopus quis fuerit?
- 2 Damasus quis fuerit?
- 3 Covar. textus meminit.
- 4 Facta ab intrusis an sint irrita?

In superscriptione, ibi, de Maximo Episcopo.

Intellige, qui se gerebat tanquam Episcopum. Cæterum de hoc Maximo Cynico constat sanctam Synodum Constantinopolitanam in eam sententiam abijisse, ut communi consensu declararet, eum nec fuisse, nec esse Episcopum; clericos item ab eodem ordinatos omnis ecclesiasticæ functionis, & muneris expertes, vacuos abire debere, ut tradit Sozomenus lib. 7. cap. 9. Theodoretus lib. 3. cap. 8. qui addit eundem Maximum hæresis Apollinaris sectatorem fuisse; vide fufius Baron. tom. 4. annal. anno Christi 381. nu. 26. Diversus hic est Maximus Cynicus, ab illo alio item Maximo Cynico, qui sub Imperatore Iuliano fuit; iste quippe patria fuit Alexandrinus, ille autem Smyrnæ natus, Ephesus dictus est, quod ibidem diutius egerit, ut per eundem Baron. d. tom. 4. in vita Liberij, anno Christi 362. nu. 3.

In eadem superscriptione, ibi, Sub Damaso. Vide posita ad cap. Huic soli, dist. 17.

Ad textum. Refertur 1. tom. Concilior. in Concl. Constantinopolitano, sub Damaso I. edit. 1. cap. 6. & edit. 2. cap. 3. fol. 411. & huius textus meminit. Covar. lib. 4. resol. cap. 14. nu. 12. col. 2.

4 In Glossa 2. Agit an facta à vitiosè electis, & intrusis sint irrita? de quo vide *Abb. in cap. Nihil 43. de elect. nu. 11.*

DISTINCTIO. XX.

S V M M A R I V M.

- 1 Doctores qui distinctionis meminere.
- 2 Claves dua, scientia, & potestatis.
- 3 Potestas ecclesiastica unica est.
- 4 In iudice ecclesiastico utraq, clavis requiritur.
- 5 In explananda scriptura Pontifex praefertur doctoribus.
- 6 Non potest quilibet privatus explicare ad libitum.
- 7 Hac potestas ad Romanum Pontificem spectat.
- 8 Gratianus defenditur.

1 **I**N principio distinctionis. Vide *Covar. lib. 4. resolut. cap. 16. nu. 6. vers. Item Decretales*, qui Gratianum defendit, licet eum reprehendat *Castro adversus haereses, lib. 1. cap. 2. col. 8. & 9.* vide etiam posita in *cap. Si Romanorum. & in cap. Canonicis, supra, dist. 19.*

2 In Glossa, verbo, Dedit. Agit Gloss. quod duæ sunt claves, altera scientia, altera potestatis. Controversia tamen est in ijs explicandis, namq, clavam scientia referunt pleriq, ad habitus scientiarum, sacrae scilicet theologiae, sacrorumve Canonum, qui in scholis addiscuntur. Ita *Glossa in presenti*; unde ex *Vgatione*, notat *Alexandrinus*, hic nu. 7, sacerdotibus imperitis non dari clavam scientia in sua ordinatione, quam etiam sententiam *Magistro* tribuit, sed eleganter improbat *Sotto in 4. dist. 20. q. 1. art. 1. ad fin.* Convincitur enim, tum quia repugnat *Extravag. Quia quorundam, vers. Item quia, de verbor. signific.* dum agit sacerdotes in sua Ordinatione claves recipere, cum tamen liqueat non recipere habitus scientiarum; tum quia inconveniens est fateri imperitos Sacerdotes alteram tantum clavam habere. Vide *Adrianum in 4. sentent. in tract. de clavibus*, ubi triplicem admittit clavam, alteram vocat clavam auctoritatis; alteram excellentia; tertiam ministerij. Quæ tamen coincidit cum clavibus scientia, & potestatis. Nam clavis auctoritatis, & excellentia in solo Deo, & Christo Salvatore reperitur. Adito *Suar. de panis. disput. 16. per totam, & præcipue sect. 4.*

ubi citat *S. Maximum, Bedam, & Fulgentium.*

3 Dic ergo potestatem Ecclesiasticam, seu spirituales, quæ nomine clavium significatur, quoad substantiam, & essentiam unicam esse; & sic iam intelliges textum in *cap. Tantum, de excessibus Prælatorum*, dum clavis meminit in numero singulari, eam nihilominus potestatem, duplicem habere actum, duplicemq, distinctam facultatem affirmat, alteram decernendi, an is, qui admittitur ad Regnum Dei, dignus sit, & qua poenitentem cogit, ut plene peccata pandat, ut statum ipsius cognoscat, & hæc dicitur scientia; alteram vero, qua is qui dignus decernitur, admittitur, & absolvitur, vel si indignus est repellitur, & hæc dicitur potestatis; & confirmatur, quia licet aliquando is, cui committitur cognoscere, judicare non possit, *Extravag. quia quorundam vers. Ei autem*, is tamen qui iudex constituitur, & cui judicare committitur, necessario de qua re iudicabit, primum cognoscere debet, *cap. 1. vers. Oportet, de poenitentia dist. 7.* textus sic intelligendus in *l. De qua re. ff. de iudic.* Unde recte Pontifex in *d. Extravag. vers. Quare restat*, concludit in iudice ecclesiastico utramq, clavam esse necessariam, cognoscendi scilicet, & definiendi; quasi altera, sine altera subsistere non possit, neque enim quilibet, quamvis doctus, si ordinatus non sit, clavam habet scientia, quia non habet facultatem illam decernendi, de qua supra, neq, etiam sacerdos indoctus caret clava scientia, quia quamvis habitus scientiarum non habeat, habet tamen facultatem decernendi, an poenitens dignus, aut indignus sit. Quæ omnia colliges ex textu in *d. Extravag. D. Thom. ad 3. p. sub eodem tit. nu. 9. Sotto d. art. 1. conclus. 2. Graffis in aureis decisionibus lib. 1. cap. 13. nu. 9. p. 1.*

5 In eodem principio distinctionis in vers. Unde. Collige ex Gratiano, quod in explanando verum scripturae sensum præferatur D.D. Sacri iudicio Romani Pontificis; quæ doctrina tanquam intolerabilis, ab omnibus reprobatur, nam ad summum Pontificem, tanquam Ecclesia caput, pertinet definire veros scripturae sensus, cuius iudicium omnes fideles adstringit. Probat *Trid. sess. 4. in decreto de edit. & usu librorum vers. Præterea. Cano. de locis Theolog. lib. 5. cap. 2. & lib. 12. cap. 7. conclus. 1. Albertus Pignius de ecclesiastica Hierarchia lib. 1. cap. 4. à principio, & lib. 4. cap. 2. Bañes 2. 2. q. 1. art. 10. dub. 6. conclus. 5. & seqq. late, & eleganter Bellarmin. 1. tom. controvers. lib. 3. cap. 3. cum seqq. & controvers. 3. lib. 4. de Roman. Pontif. cap. 1. per totum, & eleganter probat *Imoc. 3. in cap. Per venerabilem, qui filij sint legitimi, & iudicium Ecclesia, in vera fidei doctrina omnibus sanctis Patribus exponentibus scripturam, præponi tradit Henric. lib. 1. sum.**

cap. 1. §. 3. & *Sacr. in defens. fidei lib. 1. cap. 11. nu. 2.* affirmat, quando sensus, sive privata explicatio scripturæ est contra doctrinam Ecclesiæ, tunc à malo spiritu procedere; rectum verò sensum ex maiori, vel minori consonantia ad doctrinam, & explicationem Ecclesiæ probandum esse. Consule *Iou. Dryad. de ecclesiast. dogmat. lib. 2. cap. 3. Medinam lib. 7. de recta in Deum fide, cap. 18. Ioanem Azor. 2. p. inst. moral. cap. 8. & lib. 5. cap. 24.*

6 Verum controversia hæc sequentibus assertionibus resoluta, demonstrabit legitimū Gratiani sensum. Prima assertio est, in explicanda scriptura nō est quilibet privatus homo iudex, ut ad suum libitum illius sensus contorqueat, sed pertinet explanatio veri sensus ad Ecclesiam, cuius autoritas omnes ad illum amplectendum adstringit. *Trid. ubi supra, eleganter contra hæreticos comprobat Bellarm. d. cap. 3. cum sequentibus.* Secunda assertio, hæc potestas obligans iudicandi de vero sensu scripturæ, non solum pertinet ad Ecclesiam, pro ut est omnium fidelium cœtus, & congregatio; sed etiam ad prælatos universæ Ecclesiæ, Romani Pontificis autoritate convocatos, ipsam Ecclesiam representantes, quod dicitur Concilium universale, ut optimè contra Calvinum tenet, & probat *Bellarmin. 1. tom. contr. 4. lib. 3. de Ecclesia militante, cap. 14. col. 1. vers. Nostra igitur. Cæno de locis theolog. lib. 12. cap. 7. præcept. 2.*

7 Tertia assertio, Omnes etiam adstringit iudicium unanime omnium Patrum circa sensum scripturæ. *Concil. Trident. d. sess. 4. vers. Præterea. Henric. d. §. 3. littera L. & ratio mihi videtur, quia hic unanimis consensus receptus, arguit sensum hunc esse totius Ecclesiæ, siquidem ab omnibus recipitur.* Quarta assertio, eadem imò maior (ut per *Covar. 4. resp. cap. 16. nu. 4. col. 3. ad fin.*) potestas circa hoc iudicium in sensum scripturarum, est apud solum Romanum Pontificem, tanquam caput Ecclesiæ, aliquem scripturæ sensum explanantem *Pighius d. lib. 4. cap. 2. & seqq. Bellarm. d. contr. 3. lib. 4. de Romano Pontifice, cap. 1.* Quinta assertio, Pontifex tanquam principalis doctor scripturam explicans, non habet omnino astringens iudicium in effectu. *Bellarmin. d. contr. 1. lib. 3. cap. 10. vers. 16. & vers. Respondeo. Præposit. Archidiacon. & Turrecremat. in presenti agentes de operibus Gregorij Papæ, quæ tanquam doctor composuit, & de commentar. Innoc. 4. quinimò posse Pontificem, ut privatam errare pertinaciter, & hæreticè, est opinio communis, ut refert *Bellarmin. d. lib. 4. Hierarchia eccles. cap. 8. licet contrarium non ineleganter defendat.**

8 His suppositis Gratianus ex mente *Turrecrem. & aliorum, hic est intelligendus juxta terminos huius ultimæ assertionis, ut loquatur de Pontifice, ut privato doctore, scripturam ex-*

planante; qui non est præferendus aliorum Patrum scriptis, nisi quatenus fortiori ratione iuvatur, cum enim tunc iudicium summi Pontificis non sit astringens, habent locum verba Gratiani, *quo quisq; magis ratione nititur, eò maior est autoritas eius; & probatur hic intellectus ex discursu Gratiani, nam illud intendit, quod summus Pontifex in his, quæ agit ex vi potestatis, præfertur omnibus, quia potestas illius supra omnes est.*

In his verò, quæ agit eruditione, & scientia; tunc firmior ratio, non maior scribentis autoritas vincere debet. Vnde tritum illud *Aristotelis. Amicus Plato, sed magis amica veritas.* Plane Summus Pontifex cum interpretatur scripturam, ut talis, iudex est, & potestate divinitus sibi concessa, utitur; ut late probat *Bellarmin. supra citatis locis, cum tamen interpretatur, ut doctor, non agit supernaturali virtute clavis, sed naturali scientia, juxta dicta in ultima assertionem.* Ergo cum primo modo definit, non dubitavit Magister omnibus præferendum, licet cum secundo disputat, recte doceat illius autoritatem ex vi rationis esse mensurandam.

C A P. De libellis. I.

S Y M M A R I U M.

- 1 Leo quartus quis fuerit?
- 2 Dicta sanctorum an habeantur pro lege?
- 3 Canones Apostolorum an approbentur?
- 4 Glossa interpretatur.
- 5 Doctores sacri, an præferantur Pontifici?
- 6 Græci an teneantur ad observationem Canonum?

In superscriptione, ibi, Leo quartus. Vide posita ad cap. De capitulis, supra dist. 10.

Ad textum. Meminit textus, & illū citat ad hoc, quod dicta sanctorum habeantur pro lege, in decisionibus causarum, *Gregor. Lopez. part. 1. tit. 1. l. 6. Glossa 1. atq; textus verba refert Azor instit. moral. lib. 5. cap. 19. in principio, tom. 2. & totam integram, ex qua nosse textus fuit desumptus; refert Baron. tom. 10. anal. anno Christi 855. nu. 17.*

Ibi, Canones Apostolorum. Dubium esse potest quomodo Leo quartus comprobavit Canones Apostolorum, cum tamen *Gelasius illos apocryphos recenset in cap. Sancta, dist. 15. ut arguit Baron. tom. 2. anal. anno Christi 102. nu. 13. pro quo videbis posita ad cap. Primum, supra dist. 16.*

4 In Glossa verbo, Junioris. Agit de intellectu cap. Quod proposuisti 32. q. 7. de quo videbis posita ad ipsum textum satis difficilem.

5 In Glossa verbo, Illorum, ibi, Quod verum est. Citat Abb. in cap. Certificari, de sepultur. nu. 3. & in cap. Ne innitaris de const. nu. 3. & in cap. Qualiter 2. de accusat. nu. 2. ad hoc, quod si D. Augustinus, aut Hieronymus dicat aliquid, & innitatur autoritate novi, vel veteris testamenti, sit magis credendus, quam Papa. Dicit post alios singularem Afflict. in preludio de feudis nu. 102. qui late de hoc agit, circa quod vide Decium in d. cap. Ne innitaris, col. 2. in fin. Gregorium Lopez part. 1. tit. 1. l. 6. Glossa 1. Roman. singul. 228. ubi Glossam appellat singularem; optime Tirac. de primog. q. 60. nu. 5. & illam dicit singularem. Iason in §. Quaedam nu. 67. de actionibus; videnda tamen sunt posita ad principium huius dist. nu. 5. & seqq.

6 In Glossa verbo, Convincitur ibi, Non recipiat. Abb. in cap. 1. nu. 8. de const. qui ad hanc Glossam remittit questionem, an Græci teneantur ad observantiam Canonum?

C A P. Si decreta. II.

S Y M M A R I V M.

- 1 Nicolaus primus quis fuerit?
- 2 Photius hostis Pontificum.
- 3 Decreta Pontificum debent observari.
- 4 Subditi non excusantur dicentes non habere statuta superiorum.

1 I N superscriptione ibi, Nicolaus I. Vide posita in cap. Imperium 10. dist. adde Baron. tom. 10. annal. anno Christi 860. nu. 2. & seqq. ubi ponit primam epistolam, quam scripsit Nicolaus primus isti Photio; & anno 862. nu. 10. ponit ipsam integram ex qua noster textus desumptus est; & elegantem epistolam eiusdem Photij ad Nicolaum primum vide eodem tom. anno Domini 861. nu. 34. & seqq.

2 In eadem superscriptione, ibi, Photius. Fuit Photius Romanorum Pontificum implacabilis hostis, laicus, & eunuchus in sedem Constantinopolitanam intruditur, & consecratur, ut per Baron. d. tom. 10. anno Domini 858. nu. 49. Quis ille fuerit? Vide nu. 51. Plura de eius dolosis artibus vide anno

859. nu. 68. & anno 861. nu. 3, & 10. Eius obitus qualis, & quando factus sit anno 886. nu. 28. & 31.

Ad textum. Collige decreta Romanorum Pontificum debere observari; de quo vide posita ad cap. Sic omnes dist. 19. quod optime ex gestis ipsius Photij comprobatur; licet enim imperiali nixus potentia, & Episcoporum consilio, ex congregato ad eam rem perficiendam concilio ab ipso Imperatore in Patriarchalem elevatus sit thronum, cum tamen sciretur omnem conatum Imperatoris esse irritum, nisi manu Romani Pontificis firmaretur, iudicium vel invitus cogitur implorare Sedis Apostolicæ. Tantum ergo apud nequissimos homines veritas sibi vendicat potestatis; considerat optime Baron. d. tom. 10. anno Christi 859. nu. 58.

In textu, ibi, Neglectu. Nota quod subditi non possunt se excusare dicentes, quod statuta superiorum apud se non habent, culpantur enim de negligentia. Negligentia autem peccatum est, de quo vide post alios Sylvestrum in summa verbo, Negligentia, vers. Quomodo autem, & vide dicta ad cap. Nulla dist. 38.

C A P. De quibus. III.

S Y M M A R I V M.

- 1 Firmius est iudicium plurimorum.
- 2 Textus quomodo legendus?
- 3 A communi sensu non est recedendum.
- 4 Deficiente lege, sapientibus standum est.
- 5 Plurimum senioribus defertur.

N Otat Sylvester, verbo, Consuetudo, §. 1. n. 1. 2. ad med. & §. 19. nu. 3. post principium, ad hoc, quod firmius est iudicium plurimorum. Ad Anch. in cap. Cum olim, nu. 3. ad med. de consuetud. Præpositum in cap. Canones, nu. 2. dist. 15. & dicit bonum textum Iason, in §. Quaedam, nu. 67. in principio, de actionibus. Alciat. de præsumpt. reg. 1. præsumpt. 51. num. 51.

Ibi, Scripta Græca. Legendum esse scripta Canonica, contendit Henriquez, post alios, de vero sacrificio Missa, cap. 31. nu. 4. littera E.

In textu, ibi, Facilius namque; Vide Decium, in cap. prudentiam, nu. 2. de offic. deleg. Navarr. de redd. ecclesiasticor. monitu 48. nu. 2. qui per hunc textum dicit, quod à communi sensu non est recedendum, sine lege, vel efficaci ratione. Ibi,

4 **Ibi, Seniores congrega.** Vide Abb. *in cap. Cū olim num. 7. vers. Si verò de consuetud.* qui de hoc textu meminit, ad hoc, quod deficiente lege, vel consuetudine in aliqua Ecclesia, congregari debent sapientes, & Seniores, quorum consilio standum est. Præcipue cum in sacra pagina sit frequentissimum, Seniores appellari sapientes, ut habetur *Proverb. 1. & ibi, Ferdinandus Salazar nu. 98.* Seniores vocat sapientes. Deinde in *cap. Porro dist. 84. et ibi, Glossa.* Seniorum ergo consilij est obtemperandum, quos diuturna experientia rerum magistros fecit. Et ideo Anchises filio Æneæ præcipit *lib. 5. Æneid.*

Consilij pare, qua nunc pulcherrima nautis

Dat Senior. ubi Senioris viri consilia pulchre dixit pulcherrima.

5 **Ibi, Senioribus.** Ergo plurimum iura senioribus deferunt; cum prudentiores iuvenibus præsumantur; adeo ut qui dicere velit contrarium, probare hoc non posset, nisi per quindecim testes *l. Vnicuiq; Cod. prox. sac. scrip. Felin. in Rubrica de maior. nu. 3. Mascard. de probat. vol. 3. conclus. 1295. nu. 3. Tiraq. in præfat. de jure primogenior. nu. 153. ad fin.* Quo tamè in pretio ruga senilis ab omnibus haberi debeat, indicatur in *l. Si de de tabulis, ff. de fide instr.* idquè ipsi etiam ethnici agnoverunt, uno attestante *Ovid. Fast. lib. 5.*

Magna fuit quondam capitis reverentia cani.

Inq; suo pretio ruga senilis erat.

At, inquires, quid in rugoso, & iam defloccato sene aliqua æstimatione, vel pretio dignū est? Quid, quod adolescentes ad reverentiam, & omnes ad obsequium alliciat deferendum? Audi *Franciscum Petrarcham, lib. 8. epist. de rebus Senioribus.* Honorati, inquit, senes, qui se ipsos, qui familiam, qui patriam, ac prævalidam juventutem consilio suo regant; quanvis corpore imbecilles, & attriti avo, non animo languidi, & enervati. Ut verò hac in re penum aperiam refertissimam, & omnes ad colendam senectutem invitent, lectores remitto ad *Aulum Gellium lib. 2. cap. 15. Valer. Max. lib. 2. prope initium. Thucydidem lib. 6. belli Pelopon. interprete Laurentio Valla. Euripidem in Peleo. Odonem Cluniacensem in Iob, lib. 19. nu. 7. & 8. Alphonsum de Castro adversus hæreses, lib. 6. verbo, Episcopus. Franciscum Philesium epistolarum, lib. 36. epistola 1. ad Nicodemum, ubi hæc verba: Romani rerum domini senatum a senibus nominarunt, quoniam intelligerent in senibus solis gravitatem esse, & prudentiam. & Quintilianus lib. 12. cap. 4. ideo maiorem senibus auctoritatem esse dicit, Quod plura nosse, & viaisse creduntur. Lege quæ supra scripsimus ad *cap. Placuit, dist. 18. & ad cap. Ridiculum, nu. 2. dist. 12.**

DISTINCTIO. XXI.

S Y M M A R I V M.

1. *Subdiaconi quando creati?*
2. *An fuerit ordo sacer tempore Apostolorum?*
3. *Gratianus non dubitavit ordines fuisse à Christo institutos.*
4. *Gratianus quomodo debeat intelligi?*
5. *Sacerdotes an possint in bello pugnare? & num. sequentibus.*

IN principio distinctionis, §. 1. Inter eos, in fine.

Docet Gratianus subdiaconos, & acolythos progrediente tempore Ecclesiam sibi constituisse, quam doctrinam D. D. falsam appellant. Primò ex eo, quod omnes ordines Christus instituit, ut optime probat *Henriq. lib. 10. de ord. cap. 3. à principio. Trid. sess. 23. cap. 2. Egidius Bellanus disp. 20. de Sacramento Ordinis, dub. 5. & 6. quod confirmat auctoritate Patrum August. Chrysost. Ambros. Anastasij Dionysij. Idem eleganter probant Vasq. in 3. p. disp. 236. per totam. Reginald. lib. 30. tract. 1. cap. 1. Petrus Canisius de Sacramento Ordinis, in principio. Secundò, quia usum ordinis subdiaconatus, & acolythi ab ipso Ecclesie initio fuisse, docet *Trident.* ubi supra, *Bellarmin. 1. tom. lib. 1. de clericis, cap. 12. ubi expressè de subdiaconis, & acolythis, & 2. tom. lib. 1. de Ord. cap. 1. aliàs 7. vers. Illud autem; optime Henriq. ubi supra, cap. 2. §. 2. littera P. ubi in textu affert Dionysij auctoritates, cap. 5. Eccles. Hierarchy. asserentis Onesimum, de quo fit mentio à D. Paulo ad Colossens. cap. 4. nu. 9, creasse acolythum, & in cap. Episcopus, 35. dist. refertur Canon Apostolorum de subdiaconis faciens mentionem.**

Vnde *Glossa hinc, verbo, Subdiaconos, inquit* 2 subdiaconatum iam tunc à tempore Apostolorum fuisse ordinem, sed non sacrum, & post *Hug. Glossam, sequitur Præposit. hinc in fine, & Archidiaconum, quem refert Turrecrem. hinc ad fin. de quo vide posita ad cap. Subdiaconus, nu. 3. infra, dist. 23. in fin. sed hic quidem intellectus licet in se verus videatur propter auctoritatem Urbani 2. in cap. Nullus, fin. infra 60. dist. ubi in primitiva Ecclesia solos duos ordines sacros recognoscit diaconatum, & præbyterium; probat etiam *Innoc. 3. in cap. A multis de etate, & qualitat. & in cap. Miramur de ser. non ordin. Bellarm. lib. 1. de ord. cap. 7. Henriq. d. lib. 10. cap. 2. §. 2. littera L. & hic ibidem ait potuisse Corepiscopos hunc subdiaconatus ordinem olim conferre, & ibi, tradit à quo**

quo tempore capit huic ordini solemne continentiae votum adnecti, de quo in *cap. Siquis eorum*, infra *dist. 32.* agemus; attamen litterae Gratiani non convenit intellectus.

3 Quare supponendum est Gratianum hic non dubitasse institutionem omnium ordinum fuisse à Christo. Nam *Magister sententiarum* (cuius ipse doctrinam semper amplectitur) in *4. dist. 29. cap. 2.* & *10.* firmiter docuerat, omnes etiam minores à Christo fuisse institutos; agit ergo Gratianus tantum de usu horum ordinum, & circa illum dubitat. Supponendum insuper, quod licet hic usus omnium ordinum caperit à tempore Apostolorum, non tamen erant in initio nascentis Ecclesiae hi ordines in personis distinctis, sed propter penuriam ministrorum, omnes ordines singulis quibusque personis conferebantur, quae omnium officium gerebant, ita ut non posset unus vocari subdiaconus, alius psalmista, alius exorcista. Ita *D. Thom. in addit. q. 37. art. 2. ad. 2.* Ex quo sequitur authores catholicos dicentes subdiaconos, vel alios ordines minores esse ab Ecclesia constitutos, interpretandos esse, ut velint ab Ecclesia distinctos postea esse, ut explicat *Dionysius de eccles. hierarch. cap. 3.* sequitur *Henriq. d. lib. 10. cap. 2. §. 2. littera Q.* quasi dicant, illorum officium capisse per se in Ecclesiae progressu distingui.

4 Unde Gratianus est intelligendus, ut illud tantum velit Ecclesiam subdiaconi, & acolythi officia discretis, & distinctis personis tradidisse, ita ut unus sit tantum subdiaconus, & alius tantum acolythus, ut singuli dignosci possint, & patet hic intellectus ex discursu Gratiani; ait enim in principio huius *dist. 21.* quod Christus Dominus instituit in Ecclesia alios maiores, alios minores, sacerdotes, & deinde alios inferiores ministros, sed officia quidem maiorum, & minorum sacerdotum statim in personis discrevit; nam Apostolos creavit Episcopos, & discipulos 72. sacerdotes fecit, aliam verò ministrorum distinctionem in discretas personas, hominum penuria impedij; quam postea procedente tempore, & indies Ecclesia crescente, summi Pontifices constituerunt, alios ordinando subdiaconos solum, alios solum acolythos, & deinceps. Ex quo apparet non agere Gratian. de institut. ordinis subdiaconatus, quam noverat à Christo factam, neque de usu illius officij, quem apud patres legit ab Apostolorum tempore capisse; sed de illius ordinis distinctis personis, & sic optimè intellexit *Turrecrem. in presenti.*

5 In Glossa verbo, & maiores post med, ibi, sacerdotes erant homicidæ. *Covar. in Clement. si furiosus 2. p. §. 3. nu. 2.* ubi, latè, de hac quaest. Quando sacerdotes possunt in bello pugnare, vel saltem interesse, & hortari milites? Attamen cum hæc

questio sapissimè cōtingat, pro clariori doctrina sequentibus conclusionibus illi respondeamus.

6 Sit prima conclusio. Clericus in sacris constitutus absque metu irregularitatis, potest assistere in bello siue iusto, siue iniusto, ad effectum ministrandi sacramenta militibus; cōstat nãq; aliquid illicitum non operari, quin potius illum animarum salutem intendentem, actum meritorium exercere. Ita deducitur ex *cap. Ex multa §. Vlt. de voto, D. Thom. 2. 2. q. 40. art. 2. ad 2. Suar. de censuris disp. 47. sect. 6. nu. 7. Henriq. in summa lib. 14. cap. 13. §. 3. ad fin.*

7 Secunda cōclusio. Clericus potest esse praesens in bello iusto, & hortari milites ad pugnam, & victoriam comparandam, quia ad irregularitatem incurrendam voluntas saltem virtualis ad homicidium requiritur; clerici autem in bello iusto cohortantes, illa carent voluntate, solum enim intendunt milites incitare ad victoriam. *Navarr. in Manuali, cap. 27. nu. 215. in principio. Henriq. d. cap. 13. §. 1. in principio. Mol. tom. 1. disp. 108. Suar. de censuris, disp. 47. sect. 6. nu. 2. Glossa 1. in cap. Pen. de homicidio, Glossa in cap. Quod in dubijs, verbo, incitant, de penis, quidquid Sylvest. Bellum 3. nu. 3. ad fin. post Innoc. & Hostiens. existimet hoc solum licere ante actualem conflictum, & licet Glossa, verbo, subministrat, in cap. Ita quorundam, de iudeis, quam sequitur Pelagius de planctu Ecclesiae, lib. 1. art. 48. post med. teneat tales irregularitatem contrahere.*

8 Tertia conclusio. Clericus in bello iusto militando, & vulnerando, si neminem mutilet, vel occidat, aut sit causa proxima, ut alij faciant, non incurrit irregularitatem, etiam si multa homicidia sequantur. Ita *Covar. d. nu. 2. post principium. Navarr. d. nu. 215. Henriq. d. cap. 13. §. 2. Suar. d. sect. 6. nu. 4. & 9.* Ratio est quia illa neq; mutilat, neq; deformat, neq; est causa proxima deformationis. Nec obest *cap. Quod in dubijs, de penis,* dum ait deponendos esse clericos, qui per se militant, vel incitant ad bellum; exponitur enim de bello iniusto, ut ibi docet Glossa Exponitur secundo, quando congressio ad pugnam talis est, ut in particulari inducat homicidium, vel mutilationem, ut intellexisse videtur. *Navarr. d. cap. 27. nu. 216.* Tertio exponitur non de irregularitate, sed de alia poena, quae ab Episcopo potest imponi propter gravitatem delicti, ut per *Abbat. ibidem, quem sequitur Suar. d. sect. 6. nu. 1. in fine.*

9 Quarta conclusio. Clericus, vel praelatus Ecclesiae, qui dant arma militibus, ut in bello iusto pugnent, non incurruat irregularitatem, etiam si cum armis postea occidant. Tenet *Navarr. d. nu. 216. licet oppositum teneant Sylvest. verbo, homicidium, 3. p. q. 6. nu. 8. vers. Quintum. Angel. irregularitas 1. nu. 15. Navarr. autem, ubi proximè, & num. 217. Videtur limitare suam inten-*

intentionem, nisi arma dentur cum intentione ut milites occidant. Ego intentionem internam nihil ad hoc operari intelligo, sed debet intentio exterius exprimi, dando arma determinate ad homicidia facienda: si autem dentur ad strenue pugnandum, vel victoriam comparandam, non incurritur irregularitas, etiam si clericus moraliter sit certus de effectu, vel illum desideret, ita *Suar. d. sect. 6. nu. 11.*

10 Quinta conclusio. Clericus in bello pugnans ob necessariam defensionem propriae vite, personae, & patriae, non sit irregularis, etiam secuto homicidio per propriam actionem. Ita *Covar. in Clem. si furiosus 2. p. §. 3. nu. 2. ad fin. Henriq. d. cap. 14. nu. 1. post principium, Abb. & Doctores in cap. Petio, de homicidio, & post Innoc. & alios tradit Suar. d. sect. 6. nu. 1. & 2. Mol. de just. tom. 1. disp. 108. Quidquid contrarium (quoad patriam) teneat Navar. d. nu. 215, licet pro nostra conclusione citetur, imo tria illa membra impugnet universaliter *Caetan. 2. 2. q. 40. art. 2. Cui non favet D. Thom. ibidem, dum sentit clericos manere irregulares pugnantes in bello, quia intelligitur de clericis voluntarie pugnantibus, non autem ad defensionem propriam. Nec obstat textus in cap. Petio, de homicidio, ubi Pontifex praecipit abstinere illum, qui in belli conflictu aliquem interfecit, vel de hoc habet dubiam conscientiam, quia licet textus videatur loqui de bello defensivo, tamen terminatum fuit in bellum offensivum ex parte Christianorum ex euntium à castro, & persequentium inimicos, advertit *Suar. ubi proxime, nu. 4.***

11 Sexta conclusio. Clericus praelians in bello licet iusto, si aliquem mutilaverit, vel occiderit (praeter casus proxima conclusione positos) irregularitatis labe aspergitur, ut probat expressè *d. cap. Pen. de homicidio. Anton. 3. p. tit. 28. cap. 2. Sylvester, verbo, bellum 3. nu. 4. Sotus lib. 5. de just. q. 1. art. 9. col. 5. Covar. in d. Clem. 2. p. §. 3. nu. 3. post principium. Henriq. d. cap. 13. §. 1. in fin. Suar. d. sect. 6. nu. 6. D. Thom. 2. 2. q. 40. art. 2. Est enim actio illa valde aliena à ministerio sacerdotali, & ideo clericis merito prohibetur, & imputatur. Adde *Sayrum de censur. lib. 6. cap. 19. nu. 1. & seqq. & posita ad cap. Siquis 4. dist. 51.**

C A P. Cleros. I.

S V M M A R I V M.

- 1 Clerici sunt res spirituales.
- 2 Iudicium an admittatur per sortes?
- 3 Gradus, & nomina ecclesiasticorum ordinum.
- 4 Doctores qui textus meminere.

- 5 Archiepiscopus à quo debeat recipere pallium?
- 6 Metropolitanus unde dicitur?
- 7 Episcopus unde dicitur?
- 8 Sacerdos unde dicitur?
- 9 Presbyter unde dicitur?
- 10 Levita unde dicitur?
- 11 Cantus quare fiat in Ecclesia, & an debeat laudari?
- 12 Episcopus an possit interdicare ne fiant exorcismi?
- 13 Clericus quis dicitur?
- 14 Percutiens psalmistam an incurrat excommunicationem?
- 15 Tonsura an sit Sacramentum?
- 16 Nudus quis dicitur?
- 17 Doctores qui Glossa meminere.

IN principio textus. Notat *Rebus. cons. 193. post principium, vers. Ipsi enim, ad hoc, quod clerici sunt res spirituales, deputati servitio Dei, & illi reservati, & clerici qui sint dicendi? Vide Trotium de vero clerico, lib. 1. cap. 1. Alciat. lib. 5. Parergon. cap. 22. in principio, Thomam Vellasc. allegat. 3. à nu. 1.*

Ibi, Sorte electus. De sorte, & iudicio fortis, late *Tiraq. jure primogenior. q. 17. post num. 19. in prima opinione, à principio. Suar. 1. tom. de relig. tract. 3. lib. 2. de superstitione, cap. 12. per totum. Alciat. lib. 5. Parergon. cap. 22. post principium. Iure vero civili rarum est ut iudicium per sortes admittatur, nisi cum res adeo perplexa sit, ut alium exitum non habeat *l. Si duobus, C. commun. delegatis.**

Ibi, Quorū gradus, & nomina. *Ignatius epistola 11. scribens ad Antiochenos, numerat ecclesiasticos ordines, & officia. Institutio vero sacri ordinis, non tantum à recentioribus, sed etiam ab antiquioribus sacramentum est appellatum, ut tradit Tertullian. de praescriptionibus adversus hereticos, cap. 40. ubi multa congerit Panilius; idem docet Cyprianus de ablutione pedum. tom. 3. pagina 473. & ordines ecclesiastici in textu positi referuntur à Baron. tom. 1. annual. anno Christi 44. nu. 78. & seqq. de quorum explicatione videbis posita ad cap. Episcopos, & sequentibus, infra, dist. 22. faventq; omnes auctores, quos supra hac dist. num. 1. allegavi. Et praeterea est consulendus Ioannes Altenstaig. in suo lexico, verbo, Ordo, ubi paucis multa completur.*

4 In vers. Patriarcha, ibi, Sumus Patrum.

Vide Promptuarium juris, verbo, Patriarcha, pag. 145. 2. p. Decium in cap. Fin. nu. 2. de confirmat. nuli. Gregor. Lopez. part. 1. in. 5. l. 9. Glossa 1. & quare textus non incipiat a Papa, vide Affili. de feudis, in Rabr. qui feudum dare possunt, nu. 5. & 6.

5 In vers. Archiepiscopus, vide de

Archiepiscopis Zechium de Repub. ecclesiastica, fol. 114. m. 4. ubi n. 5. agit quomodo, & a quo debeat accipere pallium. Adde Cassan. in Cathalogo gloria mundi p. 5. consia. 44. ubi etiam agit de dignitate Archiducali, & dicit preferendam esse omnibus ducibus, sicut Archiepiscopus praefertur omnibus Episcopis.

6 In vers. Metropolitanus, ibi, A mensura civitatum.

Contendit Isidorus, Metropolitanos a mensura civitatum esse vocatos; contrarium tamen docet Covar. practicar. cap. 19. num. 2. post principium, vers. Idcirco Metropolis. Inson. nu. 22. in l. 1. ff. officio eius. Alciat. lib. 2. dispun. cap. 23. ad fin. qui errorem Isidori reprehendit.

7 In vers. Episcopus autem, ibi, Nam speculator.

Trid. sess. 22. de reformat. cap. 1. Trocius de vero clerico, lib. 1. cap. 13. & 7. Gregor. Lopez. part. 1. tit. 5. l. 1. Glossa 1. Azor. in summa, part. 2. lib. 3. cap. 27. vers. Queritur primo, qui late agunt de ethymologia Episcopi, & nostrum textum referunt. Mihi non displicet expositio Ioannis Altenstaig. in suo lexico, verbo, Episcopus, ubi affirmat huiusce nominis ethymologiam deduci ex fonte Graeco, ab epi, & copin, quod est super intendere, & vigilare. Episcopi enim munus est vigilare super commissum sibi gregem. Auctores Polyanthea, verbo, Episcopus, huic sententiae consonant, dum Episcopum dicunt in specula, vel super speculam.

8 In vers. Sacerdos, ibi, Compositum ex Graeco.

Componitur enim Sacerdos, ex nomine Graeco, & Latino, & dicitur Sacerdos, quasi sacerdans. In plerisque etiam locis sacerdotes appellabantur capellani. Nam antiquitus Reges Franciae ad bella procedentes, capam beati Martini secum portabant, quae sub quodam tentorio servabatur, quod ab ipsa capa dictum est capella, & sacerdotes in quorum custodia ipsa capella erat, inde capellani dicebantur; & consequenter ab illis ad cunctos sacerdotes nomen illud in quibusdam regionibus transfusum est; tradit Trocius de vero clerico, lib. 1. cap. 12. C. amora in Concione B. Martini Episcopi Turonensis.

9 In vers. Presbyter. Praeter Isidorum in praesenti, vide de ethymologia presbyteri Trocium de vero cleri-

ci, lib. 1. cap. 11. dicentem, quod presbyter est nomen dignitatis. Cum enim nongentis, & eo amplius, annis ab Adam usque ad Abraham vixisse homines legamus, nullus tamen primus appellatus est presbyter, id est senior, nisi Abraham; qui multo paucioribus annis vixisse convinctus. Genes. cap. 18. nu. 11. & cap. 24. nu. 1. de quo videbis Philonem lib. de respicientia Noe, & lib. de Abraham. Origen. homil. 4. in Genes. Hieronym. in Psalm. 91. nu. 11. & in cap. 3. Isaie. nu. 2. Ambros. serm. 2. in Ps. 118. Benedictum Fernandez, loco citato Genes. & Benedictum Pereira, ibidem, nu. 18. Non ergo propter decrepitam etatem, sed propter sapientiam presbyteri nominantur.

10 In vers. Levitae. Vide de Levitis Rebus. de decimis, q. 7. nu. 2. qui nostri textus meminit, Trocium de vero clerico, lib. 1. cap. 20. nu. 1. De Nathanael lege posita ad cap. In veteri lege, nu. 18. dist. 77.

11 Post med. textus, in vers. Lectores, ibi, Isti canunt.

Quare cantus fiat in Ecclesia, & apud quas gentes fuerit laudatus, & reprobatus, vide latissime Mantuan Dialogo historolog. cap. 60. qui huius textus meminit. Musica namque summo in pretio apud Athenienses fuit, unde prudens antiquitas Apollinem in musis medijs pingebat, universitatem omnia cithara temperantem; quare, & Philosophorum Princeps 8. Politicorū, suavit juvenes in musica potissimum erudientes, ut lasciviam dediscerent, aliasque assequerentur utilitates; hoc item suum, & proprium musicae scientia habet (ut idem Aristoteles in problematibus, sect. 29. ponit) quod trilles latificet, latosque exhilaret magis, ac magis; excitat dormientes, & dormire facit vigilantes; corporeos sanat incurabiles morbos, praesertim melancolicos, & ut paucis multa dicamus (ut Sarisburiensis in Policratico ait) musica amica est, & omni aetati, ac conditioni, dijs, & hominibus grata. Sauli Regi malis spiritibus agitato, 1. Reg. cap. 16. nu. 23. musica David solamen erat; Unde Eccl. 40. nu. 20. ait, Vinum, & musica latificat cor. In Graecia musici flourerunt, & qui musicam nesciebat, satis excultus doctrina non putabatur; quare cum in epulis lyram recusasset Themistocles, indoctior habitus est. Aegyptij tamen, & Lacedaemones non solum musicam inutilem, sed nocivam quoque dicebant, tanquam virorum animos effeminantem. Adde posita ad cap. Cantantes, infra, dist. 92. ubi latius. Interim lege Mendocae tom. 1. in lib. Reg. annot. 1. proem. sect. 3. a nu. 47. Macrobius lib. 2. de somno Scipionis. Petrarch. lib. 1. de remedijs prospera fort. dial. 23. Hieronym. Phalaetum de laude musicae, in poemate, quod incipit.

Musica turbatas animas, agrumque dolorem

Sola levat.

Francisc. Vallesum de sacr. Philosophia, c. 28. & alios.

12 **In fine textus, ibi, Adjurantes per eam.** Notat Navar. *conf. 6. nu. 1. de officio ordinis*, ad questionem utrum Episcopus possit interdicare clerico, seculari, ne exorcismum energumenis adhibeat?

13 **In Glossa, verbo, Psalmista.** De hac questione, qui dicantur clerici; vide *Troctum de vero clerico, lib. 1. cap. 5. Maxium Alterum, tom. 1. de censuris, disp. 19. lib. 5. cap. 2. §. Clericis, Azor. p. 2. lib. 8. institut. moral. cap. 2. Zerolam, verbo, Clericus, nu. 1. ubi id late ex jure confirmat.*

14 **In eadem Glossa, ibi, Iniecit manus.** Et ita qui percutit psalmistam excommunicationem incurrit, & hanc Glossa sententiam prosequere cum Albertino in *cap. Quoniam, nu. 26. de hereticis, lib. 6. Hodie tamen standum est Concil. Trid. sess. 23. de reformat. cap. 6. Adde posita ad cap. 2. infra, dist. 72.*

15 **In eadem Glossa, ibi, Tonsura est sacramentale signum.** Covarr. in *cap. Quia nos, nu. 4. de testamentis, & vide posita ad cap. Psalmista 1. dist. 23.*

16 **In Glossa, verbo, Nudis.** Dicit singulararem *Romanus, sing. 654. ad hoc, quod non dicitur nudus, qui funem, seu filum ligatum habet, in capite Quod inducit, ad statuta loquentia de poenitente aliquo in capite Nudo.*

17 **In Glossis, verbo, Patriarchis, & verbo, Archiepiscopis.** Sequitur eas *Gregor. Lopez part. 1. tit. 5. l. 12. Glossa Vlt.*

CAP. In novo. II.

S V M M A R I V M.

- 1 Anacletus Pontifex quis fuerit?
- 2 Pontificatus fuit datus Petro.
- 3 Apostoli an episcopalem consecrationem a Petro acceperint?
- 4 Primatum accepit Petrus à Christo.
- 5 Apostoli acceperunt à Christo jurisdictionem.
- 6 Petrus in potestate Apostolis praesuit.
- 7 Petrus à quo fuit electus?
- 8 Episcopatus an sit de jure divino?
- 9 Presbyteri quibus successerunt?
- 10 Apostoli an fuerint pares Petro?
- 11 Mantua Glossam interpretatur.
- 12 An possit quis esse maior in ordine, & minor in administratione.

IN superscriptione, ibi, Anacletus. Fuit Sanctus Anacletus natione Graecus, patria Atheniensis, Anthonio patre natus, Trajani jussu capite caesus, Romae martyrio coronatur, creatur Pontifex anno Domini 100. Constituit ne Episcopi, vel clerici comam nutrent, neque Episcopus à paucioribus, quam à tribus episcopis consecraretur, utq; clerici publice, non privatim, ad sacros ordines adirentur; omnibus deinde fidelibus mandavit, ut consecratione peracta communicarent, qui verò nolint à sacris ordinibus accipere. Vide *Platinam in vita ipsius, Alphonsum Chacon de gestis Pontificum, fol. 36. & 37. Baronius tamen contendit fuisse Anacletum, creatum Pontifice anno Domini 103. tertia die Aprilis, sedisseq; annos novem, menses tres, & dies decem. His temporibus scelestissimus Pseudopropheta prodijt, Elxai nomine, ex Iudaeis natus, de quo videbis ipsum Baron. tom. 2. annual. anno Christi 105. in principio.*

In textu. Notat Navar. *de indulgentijs, & 2. jubileo, notab. 23. nu. 10. ad hoc, quod Pontificatus non solum fuit promissus Petro, sed etiam fuit datus.*

Ibi, A Petro Sacerdotalis coepit ordo. Intellige non loqui nostrum textum de ordine minorum sacerdotum, idest presbyterorum. Constat enim Apostolos in ultima Coena simul omnes ordinatos sacerdotes; sed loqui de ordine maiorum sacerdotum, idest Episcoporum, qui à Petro dicitur incepisse. Nam solus Petrus à Christo fuit Episcopus ordinatus; ceteri autem Apostoli à Petro episcopalem consecrationem acceperunt; probat *Turrecrem. lib. 2. summa de Ecclesia, cap. 32. late Bellarm. lib. 1. de Roman. Pontif. cap. 23. ubi, in vers. Quid est ergo, verba nostri textus adducit. Hemiq; de Sacramento ordinis lib. 10. cap. 4. §. 2. & seqq. Oppositum existimabat Sor. certo certius, dist. 24. q. 2. art. 2. conclus. 2. vers. Vnum tamen, cui favet Augustinus, q. 97. novi, & veteris testamenti, ibi. Nemo, ait, ignorat Christum Apostolos ordinasse Episcopos, imponendo eis manus, priusquam in caelos ascenderet.*

Ibi, Et super hanc petram Probat ergo Anacletus primatum Petri, & Romanorum Pontificum, qui ei succedunt, ex divina institutione vim obtinere, non equidem humanis constitutionibus; comprobatur late *Covarr. lib. 4. variar. cap. 14. nu. 11.*

In vers. Ceteri, ibi, Pari consortio. Ergo Apostoli acceperunt à Christo suam jurisdictionem immediate per illa verba: *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. Joann. cap. 20. nu. 21. tradit Caietan. de autoritate Papa, & Concilij, cap. 3. Sor. in 4. dist. 20. q. 1. art. 2. post illos Bellarm. de Romano Pontifice, lib. 4. cap. 23.*